EVRICII

CORDI SIMESVSII MEDICI

Botanologicon.

HEVS MEDICE

Vis varias aliter quàm doctus es hactenus herbas
Scire, nouus multas iste libellus habet.
Vt retinax primum sibi testa reseruet odorem,
Sex nisi quadrantes & breuis hora perit.
Que si quàm nostris lusorum perdere chartis
Malis, tunc aliquid doctius æde tuum.

COLONIAE
Apud Ioannem Gymnicum Anno
D M XXXIIII.

Mo. Bot. Garden,
1902.

EVRICII CORDI AD SENATVM BREMENSEM *epigramma.*

Si tam charus Aſellij Sabini
Scriptus de Ganea & gula libellus
Romano potuit deo placere
Vt ſeſtertia redderet ducenta,
Hanc ſanctiſſime, non reor, ſenatus
Ingratam fore lucabrationem,
Cuius materia illa conſtat, in qua
Humana eſt ſita ſanitas ſalusq́;.
Id ſi percipiam, ſatis putabo
Condignum mihi præmium rependi.
Hoc nam tempore barbaroq́; ſæclo
Gratis poſſe placere magna res eſt.

PRVDENTISSIMIS CIRCVM ſpectiſſimiſq; uiris, Senatui pcpulóque Bremenſi Euricius Cordus Simeuſius medicus ſuus S. D. P.

CElebris eſt Platonis ſententia, non ſolis nobis natos eſſe nos, ſed partẽ noſtri parentibus, partem patriæ, & partem amicis deberi. Cui ut parerem, aſſiduum, dum perpẽdere cœpi, deſyderium fuit. Cum autem parentes meos, eo tempore, quo plus ego ipſorum q̃ mea ipſi ope indigerent, amiſerim, primo eius dicti præcepto ſatis facere non potui. Verum donec aliquis mei uſus eſſe cœpiſſet, ut eo patriæ inſeruirem, proximum erat uotum. Quo factum ut, cum illuſtriſſimus Heſſorum Princeps Philippus, propter interpolatam religionem contemptis ac exulãtibus Muſis nouum hic aſylum, adeoq; omnium artium uniuerſalem, quam uocãt, ſcholam inſtauraret, eo me, ut medicinam docerem, acciri facilius libentiusq; ſim paſſus. Tametſi ipſa patria quantũuis horrida ſua quoque, neſcio qua, dulcedine me traxit. Septem itaq; annis ipſam medicinam hic publice ſum profeſſus, quãta autem uel laude uel ignominia diſcipuli mei dixerint. Exercuiſſem quoq; non tam mea unius utilitate, q̃ communi omnium ſalute reſpecta, niſi barba

rior quàm putaueram, & iuxta principi suo pro tanto beneficio ingratus populus, ut omnes bonas literas, sic & ipsam medicinam contemneret, solisque uagis ac impostoribus empiricis & agyrthis gauderet. Quod uitium cum hic maius quàm usquã alibi, offendissem, statim pietatem facilitatemque meam incusare cœpi, et continua ductus pœnitentia iugiter hinc alio quopiam suspiraui. Quantumuis enim liberali, non tamen quo duodecimus uiuere queam, stipẽdio mereo. Quin etiam dudum demigrassem, nisi blanda spe sacra quędam anchora me hactenus, non in paruum rei familiaris detrimentũ retinuisset. Qua tandem per semper euectricem meam inuidiam resecta, cũm crebro iam rumore terrerer, scholam sicli cet nostram, non ita multa sæcula permansuram, et tum, si secuta fides, cum aulicam uitam (in quam forte ubi res fœliciter ceciderit, adsciscerer) abhorrerẽ, tamen hinc me concedere necessitas cogeret, prudentiæ adeoq; toti ciuitati uestræ futurum me medicũ obstrinxi. Quod autẽ in hũc usq; diem absum, non mea, sed eiusdem inuidiæ culpa est. quæ ut amplius noceat, ita me remoratur ut ante Paschales ferias nullam aduentus mei expectationem pol liceri queã. Et ut omnia expedita fuerint, quis

in tanta hyemis iniuria, cum tãta familia tantum iter ingrediatur? Vt tamen uel abſentem me ueſtrum eſſe intelligatis, ueſtrum hunc eſſe uolo quem interim ingenij mei fœtum peperi. Puta non adeo cõtemnendam nec inanem, ut ſpero de aliquot herbis diſputatiõem. Quã non ut uel tãtillam hinc gloriolam uæner, ſed ut atris ignorantię tenebris obſcuratam ueritatem indagem, ſuſcepi. Cuius tandẽ orituræ, dici non poteſt, quanta cupiditate tenear. Indicaui graues in quibuſdam difficultates, dubiumq; ut altius cogitaret, lectorem reliqui. In pleriſque uero contra receptos inueteratoſq; errores meam nunc ſententiam protuli, nunc opinionem oſtendi. Atq; id in his tantum quę ipſe inter legendũ obiter animaduerti. Vt non alienis me plumis, uelut Aeſopicus ille graculus, exornauerim. Licet in quibuſdã, quos de hinc uidi, autoribus, nonnulla meis eadem re pererim, quæ diſcipulos meos priuſquam illorum libros uidiſſem, docueram. Porro quia non omnia, quæ complura huiuſmodi habeo, uno hoc dialogo, quod ſeruandum erat decorum, explicare potui, ſi publicatis his precium operæ feciſſe me comperiam, forte unum & alterum adhuc, modo per otium licuerit, addam. Interea uos prudentiſſimi uiri, & quot-

quot eritis lectores, hunc qualemcunque laborem, quo & meam in iuuanda medicina uoluntatem exhibere uolui, grato animo suscipite, ac boni consulite oro.

Marpurgi
ipsis Ianuarij calendis anno
M D XXXIIII.

EVRICII CORDI SIMESVSII MEDI ci Botanologicon.

EVRICIVS CORDVS. IOHANNES MEGOBACCHVS. ANTONIVS NIGER. IOHANNES RALLA. GVLIELMVS BIGOTIVS.

CORD. Fœlicem hunc diẽ iudico in quo Cueteris illius Erfordiam, id eſt, ſyncerisſimi ſodalitij tam chara capita, te ſcilicet ſuauiſſime Megobacche, & candidiſſime Niger una cum affine meo Iohanne Ralla tãdem uidere mihi licet. Atq; utinam pro eo, qui uobis debetur honore, & meo erga uos animo tractare uos queam. Certe quantum ad hoc prandiolum attinet, boni cõſulatis tenuitatem meam oro. Vt ſemper deſyderatiſſimi, ſic iam inopini ueniſtis hoſpites, quibus nihil ultra q̃ quo ego & familia mea contenti ſumus, quotidianos nimirũ cibos, appoſui: Lautior forte cœna, ſed quatenus per Marpurgenſe macellum licebit, inſtruetur. Nolo ergo ut Aeſopicas patinas expectetis, imo ut Myſnię ac Thuringię ueſtrę oblitos, in macra, quam uocant, Heſſia,

adeoque apud Codrum Cordum uos esse me mineritis. Scitis quãtus liguritor quibus lauti tijs assueuerim. MEG. Satis superque hic fuit, neq; uolumus ut nostra caussa uel minimum sumptum facias. Nihil ultra uulgaria & solita coeme, memor dicti tui, quo olim Erfordiæ non inuitatos nos conuiuas excipere solebas. CORD. Cuius mei dicti? MEG. Aut amici aiebas, aut inimici mei ueniftis, si illi, quouis mecum contenti eritis, sin hi, nihilo uos dignos iudicauero. CORD. Non mihi tam libere uobiscum iocari nunc licet. NIG. Quidni? CORD. Quia in magnos & graues iam uiros euasistis. RAL. Quam grauis ego sim, equus meus sciuerit, quod ad magnitudinem attinet, ex pigmeorum genere progenitum me putetis. MEGOBAC. Vt tuos tu, sic meos ego mores immutaui. CORDVS. Nihil ergo Italia in toto hoc triennio te infecit? MEGO. Qualem uterque alterum reliquit, talem inuenit. RALLA. Falsum ergo in uobis prouerbium est, quo dicitur, honores mutant mores? CORDVS. Quos tu honores dicis? pluris olim semestris discipulus fiebat, quam nunc quantuscunq; doctor. NIGER. Hoc uelim cordatissime Corde persuasissimũ habeas perinde adhuc ac olim Nigrum tuũ affectum,

te amare, colere, uereri, uenerari, & loco patris habere, atq; si quid more tuo ioceris, id candidissime interpretari ac ferre. Meg. Idem de me senti. Nig. Imo gaudeo uicissim, quod tantum te ueterem & integrum amicũ meum coram uidere & audire liceat: Cuius unius ergo huc ueni & Lypsiã reliqui. Cord. Ex quo ita ludis, aspice & intuere me ad satiem usq;. Nig. Non ludo. Cord. Qui placet tibi barbatulus & rugosulus Cordus? Quantũ mutatus ab illo est Cordo, qui ante xvi. annos Erfordiæ Marianũ ludũ aperuit, te tota trieteride coadiutore & hypodidascalo? Quando pro hoc eodẽ officio solarium tuũ exigis? Nig. Tã gratam tibi & discipulis tuis utilem operam meam fuisse uelim, q̃ satis magnum ego hostimentũ recepi. Quantũ putas cumulũ eruditioni exercitiũ illud adiicere? Cord. Non adeo multo fructu instituunt̃, si non et iuxta exerceantur iuuenes. Meg. Hei mihi quã tacito cursu properans tempus labitur, eodem anno e Lypsia Erfordiam ueni. Nig. Non adeo interim consenuisse uideris Corde, ego te iam canũ esse suspicabar. Cord. Essem quoq; si assidue curæ & sollicitudines, ut dicuntur, canos accelerent: Quanq̃ interspersa barbæ pruina prominere incipiat, neq; intempestiue. Meg. Quotum ergo annum agis? Cord.

Quadrageſimũ octauum iã ſum ingreſſus. Ni. Diȝ te nobis diu incolumẽ ſeruent, ut tantundẽ adhuc ſuperſtes maneas, oro. Cord. In quam tandem frugẽ & utilitatem? Ego, ſi nondũ excreta proles patre ſuo carere poſſet, uixiſſe me uelim, ut iã humanæ ſe res habẽt, turbidiſſima hac tempeſtate, in qua omnes bonæ artes ſordent. Nig. Rogas, in quã frugẽ? Spero ut quondam in humanioribus literis, ſic nunc quoq; in re medica doctiorem me experientia tua fieri. Cord. Scilicet ut me irrideas huc uenisti, egóne ſus Mineruam? Iam pluribus annis huic rei ſtrenuam operã nauas, & quidem græcã cum Latina callens linguam, & meus adhuc diſcipulus eris? cuius hic quoſdam, qui indigniores ſunt, quam qui matulam tibi porrigãt, pudet. Mego. Hos magnos fatuos, uel ualde inuidos eſſe oportet. Nig. Quantus ſit meus uel in græcis, uel in medicina profectus, neſcio, hoc autẽ conſtat, quod ſedulum ſtudiũ & acre iudicium ad conſequendam ſcientiam plurimũ ualeant. Quo utroque inſignem te uirum, quicunq; nouit, prædicat, contemnant te quicunque uelint ſcioli. Cord. Modeſtius hæc in faciẽ, ſcis quam libenter audiam immerito me laudari. NIG. Quod loquor ut uerum eſt ita ſentio, ſed qui ſunt illi tui contemptores? Cord. Malo ab alijs

quam ex me id discas: Rescies tamen si aliquan diu hic fueris, & mecum hos communes forte habebis. Meg. Quo autem merito? Cord. Nullo quod sciam alio, quàm quod nouam hæresim in medicis rebus me excitare culpẽt. Meg. Quam hæresim? Cord. Quod superiori anno simplicia medicamenta professus omnes fere seplasiarios multis iam sæculis erroneam corum cognitionem habuisse dixerim. NIG. Quis contra manifestam ueritatem pugnet? Meg. Eo maiorem authoritatem ac gratiam mereri debes. Ral. Tantum abest, ut ob id tibi succensea m ut impatientissimo desyderio herbarium tuum expectem. Meg. De hoc mihi in Italiam usq; scriptum est, atq; utinam tandẽ eum absolutum uideam. Cord. Ne inchoatus quidem est, neq; inchoandũ sperate. Ral. Quid audio? Cord. Quod uerum est. Ral. Non scribis ergo herbarium? Cord. Nullũ. Ral. Nonne recepisti te quẽdam de medicis rebus filiis tuis librum adornare? Quo hunc alio quã herbariñ nomine appellẽ? Cord. Quouis, ubi scripsero. Nig. Cur ergo destitisti? Cord. Nõ destiti quia nondum incepi, sed sentẽtiam mutaui. RAL. Nunc magno me pudore confundis, qui tantã rius omnibus apud nos expectationẽ fecerim. Sed non parua sit causa oportet, quæ te ab hoc

instituto retraxit, ad quod tanto feruore rapiebaris. Cord. Maior est q̃uelim. Nig. Quæ ergo? Cord. Ignorantia. Nig. Nulla caussa est, Meg. Facis quod rari solẽt, dum insciti ã tuam, si qua modo est, Cord. Maxima, Meg. Tam ingenue fateris, Complures enim magis ut docti appareant, q̃ ut sint, student. Cord. Nunq̃ placuit mihi fucus, apertus sum, ut frustra quis fenestra tum mihi pectus optauerit. Nig. Nisi te modestiorẽ simplicioreḿq; scirem suspicarer te aliquod eruditionis tuæ Encomium desyderare. Cord. Eruditio nunq̃ satis laudari potest, sed mea ne nominanda quidem est. Ral. Esto, tanta, quantæ te instimulas, ignorantia fueris, cur eam non prius quàm hanc nobis spem erexeras, agnouisti? Cord. Quia quod postea didici, tum nesciui. Ral. Ergo discere est ignorantiam conciliare? Cord. Quo plus didiceris, eo minus te scire cognosces: Meg. Verum id, hinc ille dixit: hoc unum scio, quod nihil scio. Cor. Fateor, cum animaduerterẽ plerosq; imo oẽs fere pharmacopolas in tãta errorum caligine uersari, ut ne dimidiã quidem partem eorum, quæ illis scribimus, simplicium uel noscant uel habeant, dolui uehementer, et qualẽcunq; huic rei opem pro uirili mea ferre uolui: Non quod tantæ moli pares me humeros habere confide

rem, ſed ut onus illud ſubeuntibus athlantibus quotus ego quaſi tibicen aſſiſterē: Solent eñi in erigendis apud nos ædificijs nõ ingentia tantũ ſaxa, uerum & fiſſiles adeoq; tenues lapides, fragilesq; aſſulæ, donec ipſum fundamentum ſubĩciatur infarciri, & de hinc abĩci: Vbi autẽ ſuperioribus nũdinis Frãcofordi nouos quoſdam nouoꝝ medicorum libros emiſſem, & bonam eorum partem inſigni eruditione præditos, græceq; doctos uiros aliquot, quæ ego tentare uolui, præſtitiſſe, aliquot uero promittere intelligerẽ pene ſero à ſtulto hoc meo ꝓpoſito reſilĩ: Omnium tamen maxime abſterruit me Ioannes Dryander, ſeu, ut germanico eum nomine appellẽ, Eychmũnus Vetteranus e Gallia nuper reuerſus. Qui cum temeritatem hanc meam percepiſſet, bono quidem, (ut ego interpretor) animo, ſed mirum tamen quãto ſupercilio, quanto faſtidio, quanta autoritate. quam item contemptim præſentibus Ioanne Ferrario, & Sebaſtiano Auguſto affinibus, me irriſit & ne tale quid tentem, diſſuaſit. Tu ne, inquiens, in hoc tam docto & oculato ſæculo, ſcriptis tuis prodire in publicum audebis? Deſiſte obſecro bone Corde, ne toti te mundo deridendum, & ludibrio propines. Tam ſano ac amico conſilio, quo meæ ille me inſcitiæ tã cam

dide & fideliter admonuit, nõ acquiescam? Adhuc ego inter tam dulce canẽtes olores sibilus anser perstrepam? Meg. Tam subito in medicina adeo profecit Dryander ille, ut tãtum sibi arroget? & hæc tibi quondam pręceptori suo dicere nõ uereatur? Nig. Conïcio quale sit hominis ingenium ex indole illa, quã olim Erfordiæ, dum puer tuus esset, perspexi, si modo est, quem dominum famulũ uocare solebas. Cor. Idem, sed longe alius iam uir est: Dixit quoq; Iohannem Ruelliũ, nescio quæ de herbis ęditurum. Legistis & ipsi Leonhardum Fuchsiũ nouas pãdectas polliceri: Vt Otthonem Brunfelsium taceam, cuius toties promissa synonima propediem uidebitis. Interim ingẽtes eius Tomi circumferuntur, & magno applausu leguntur. Ad quos & uos remitto, si Dioscoridem, si eius interpretes & scholiastas Hermolaum Barbarum, & Virgilium Marcellũ, aliosq; medicæ rei scriptores coniunctim habere desyderatis. Nig. Placent in eis ad genetricẽ naturam expressæ herbarum Icones. Cord. Quo similius sua quæq; facie pingitur, eo peius erratur, si non & uerum eidem nomen tribuitur. Meg. Id ergo nõ factum putas? Cord. Sunt nõnulla quæ diligentius perpensa & circũspecta uelim: Quod non ideo dico, ut bonũ illum & eruditũ

uirum ſugillem, imo egregium eius conatum laudo, bonique conſulo, adeoque meritam ei pro multis gratiam habeo. Nig. Interim periculoſi ſunt harum rerum errores. Cord. Eos ipſe ali quando penitiora huius ſcientiæ adyta ingreſſus repurgabit, tam feruens eſt eius ſtudium & indefeſſa in colligẽdo ſedulitas. Nig. Dolet quibuſdam uietis rancidiſq; medicis quod tãtum tam ſubito poſſit. Cord. Plus unus is præſtitit paucis illis annis q̃ tota cõtemnentiũ eum colluuies, tanto, dum medicinã profitẽtur, tempore. Meg. Dum hanc illi curã negligunt, oportet ut ſint, qui ſuſcipiant. Nig. Solent, qui bonas literas ſectantur, longe aptiora ad omnẽ etiam ſcientiam ingenia habere, q̃ amuſum illud doctorculorũ uulgus. Cord. Sed interim ab illis etiam ſtrenue contemni, ſugillari, & nihil minus q̃ medici reputari, quaſi, qui eruditus eſt, huic ineptus ſtudio ſit. Meg. Quã autẽ ob rem, & unde hæc, malũ, ueſania? Cord. Neſcio, ſed ita fieri uel ipſe cõperi, etenim quidam æmulus meus, quod, cum ei uocatus ad ægrum collegæ cõmiſſus eſſem, erroneã in medendo rationem à me nõ probari intelligeret, & ſuo tamen ſolius oñia conſilio geri, primasq; æſtimationis partes obtinere cuperet, apud eum, qui me uocauit, ut inſcitiã ſuam tueretur, poëticum ho-

minẽ esse me,& medicas res ignorare insimulauit. Meg. Si est quem ego suspicor, potius est, pene dixeram quis, quã medicus. Cord. Scio quẽ dicturus eras, ob id etiam plus in delitijs, quam æstimatione habetur. Nig. Magnã tibi facit iniuriã, quicũq; sic de te existimat. Cord. Hoc de me non uanus & citra iactantiam affirmare ausim, humanioribus studijs, quę tamen infra mediocritatem attigi, me sæpissime fuisse adiutum, ut ea quę in medicina legi faciliore captu deprehenderim acriori etiã iuditio intellexerim, imo & hodie medicã materiam exactius q̃ uitilitigatores illi, cognoscã atq; accõmodatius opportuniusq; ea uti calleã. Putant qui epigrãmata mea legunt, me totũ in his pangendis occupatũ à uersandis medicis retrahi. Nig. Id falsum uel ipsi libri tui sordidatis suis auriculis (ut uidi,) testantur. Cord. Porro, si quando admissis, ut blandiculæ sunt, musis, ad ludicras eas nugas descendo, nulla id difficultate aut ingenij fatigatione, imo uegetante potius recreatione, atq; his horis fit, quę seueriori studio non cõpetunt: ut uel inter cõuiuandum, uel, quoties aliquo uocor, dum equo insideo in itinere: dum illi, qui me cauillis suis incessunt, tempus istud, q̃d ebrietatibus & aleis scacisq; perdunt, nihil imputent. Mego. Nouimus mi

Corde, quæ ingenij tui dexteritas sit, qua, nescio quid esse possit, quod non fœlicius quã stupidi quidam bardi assequaris. Nig. Hac laude contentus, quod candidis & eruditis omnibus places, osores illos egregie uiciſſim contemne. Cord. Id uel nõ iussus facio. Ral. Alio quã quo uelim digredimini, ad inceptum sermonẽ reuertamur. Ego nouas illas de qbus iã dixeras, uel saltem ueteres repurgatas pandectas, una cũ illis Brunfelsij synonimis tandẽ euulgari cuperẽ: Nã unũ est iã hoc studiũ et desideriũ meũ, ut res illas, quibus instruendũ est pharmacopolium, cognoscam. Cord. Oñes sic affectos uel medicos uelim. Nig. Nunquid Ralla & tu synonima illa habes, quæ seplasiarij quidã ueluti arcanũ & sacrũ aliqd ali⁹ ab alio accipiũt, et multis uix precib⁹ ac donis, ut ea sibi exscribere liceat, obtinẽt? Ral. Facta mihi est semel ea uidẽdi, nõ autẽ exscribẽdi copia. Cor. Burchardus Mithobius Mathematicus noster ea habet, & quasi precioſum thesaurum penes se custodit. Quamuis legenda mihi nuper ultro obtulit, si forte aliquis eorum usus esset: At ego, ut smilẽ pandectis colluuiẽ, illa reieci, nihil enim dubito non pauciores in ijs etiã errores scatere. Meg. O quales lacunę, quę ex huiusmodi pandectarũ & synonimorum fontibus trãsfundunt. Cord.

Impuriſſimæ, atq; has aliquis defecandas & percolandas ſuſcipiat: hoc plane eſſet ſordidiſſimum & quaſi Augiæ ſtabulũ repurgare. Fœlicius q̃ his nugis bona ingenia occupari poſſunt. Ral. Video quanti luminaria noſtra facia tis, quæ tamen ſi nobis auferant, Helice & Synoſura auferent & omnes piſtilli, omnia item mortaria noſtra ceſſabunt. Cord. Dẽſiores errorum tenebræ ſunt, quã ut his prælucentibus quaſi cicindulis abſtruſam in eis ueritatẽ inda gare queamus: Alterius tamen, puta Maioris Luminaris autor, Iohãnes Iacobus Mãlius nõ ubiq; diſplicet, ut diligentior taliũ rerum ſcrutator. Sed ſatis de his, tanta mea neq; eruditio, neq; autoritas eſt, ut ſuper eiuſmodi uiros ceu conſtitutus iudex cenſoriã uirgã uſurpẽ. Meg. Liberum eſt cuiuſq; iudiciũ, Publicum ædificium, uarias cenſuras pati oportet Quid aliud agamus, q̃ ut medici de medicis rebus confabulemur? Ral. Scripſiſti mihi nuper, imo & in libello tuo de Pſeudotheriaca oſtẽdis te uerum amomũ deprehendiſſe, & penes te habere: id ut exhibeas, oro. Meg. Id admodum uidere cupio. Nig. Riſerũt te quidã apud nos ſcioli, cum in eodẽ libello hæc ſuper amomo ẏba legerẽt, Cord. More id ſuo fecerũt, at rideant me quantumuis uelint Democriti illi ego uiciſſim eos

Heraclitus defleo. Quod ego amomum credo uobis monſtrabo. Videte, cõferte, & iudicate ipſi num errẽ. Aperi ſcrinium uxor, & Hierichũtida pfer. Meg. Hierichũtida roſam? Cor. Sic appellãt, unde ſumpto noĩe ignoro. Hãc cucullati hic hypocritę ſuperſtitioſę plebeculę q̃tãnis, ipſa ſcilicet Chriſtiani natalis nocte, qua ſi ſacrũ ſpectaculũ, adę́q; miraculum nuper exhibuerunt. Quod tum ea ſponte ſua ſe aperire & ramulos ſuos exporrigere crederetur, cum tamen id ſemper faciat, quando madefit. Nig. Papæ, qualis planta? RALLA. Quam ſuauis odor? MEGOBACCHVS. Putas hoc uerum amomum eſſe? CORdus. Intuemini, & Amomi hiſtoriam in Dioſcoride adhibete. Non ſpero uos eum authorem reiicere, qui omnium optime & ueriſſime, medicas res, quãtum ad depingendas earum imagines attinet, expreſſit, etiam teſte Galeno: Imo huic uni plus fidei habendum quàm trecentis pandectis, omnibuſq;, qui hinc conſcripti ſunt, herbarijs. Ad hunc uelut ad ſacram anchoram confugiendum eſt, quoties in noſcendis, ſimplicibus ſuborta fuerit dubitatio & controuerſia. Huic aſſentiendum contra quantumuis diuturnum & receptum uſum ac errantem authoritatem. MEGOB. Nemo eſt hic

noſtrum, nec erit aliquis ſapiens medicus, qui hoc neget. Cord. En hic caput de Amomo. Videtis à principio Amomum exiguum fruticem eſſe ex ligno uuæ modo in ſeipſum conuoluutum. Nig. Simillima huius eſt figura & ſubſtantia. Cord. De floribus & foliis quæ hinc deſcribuntur iudicare nõ poſſumus, ut quæ forte ante centũ annos hic perierint, ſed ruffeſcens lignum uidetis, & odorã fragrantiam percipitis. Quæ hinc ſequũtur electionis notæ (nam plura Amomi genera ſunt) nõ facile expediuntur, deprauatus enim & mancus eſt illic uerborum contextus, de qua re ſubiecta ſtatim Marcelli ſcholia legant. Hoc certum eſt, optimum Amomũ denſo confertoq; & implicito habitu, ruffeſcẽte itẽ ligno, ac optimo odore ꝓbari, quæ cuncta hic ſunt. Videtis item racemoſum intus ſemen, rarũ tamen ſed frequentes, e quib⁹ id excidit, loculos et pediculos: Ral. Quod ego Amomum uẽdo, huic diſſimilimũ eſt, nempe exiguum & fuſcũ ſemen. Cord. Multa alia quę non habetis uenditis, non ſine magno ægrorũ periculo. Qui ſemen eſſe poteſt, cum ipſum ea, quæ, ut ſubiicitur, Amomis dicitur, ſimili ſcilicet plãta, ſed ſine odore & ſemĩe adulterari ſoleat? Meg. Certe Corde nõ temerarium eſt iudicium tuum, habet perſuadentem rationem.

Cord. Quæ in fine capitis uerba ſunt opinioni meæ etiam patrocinant. Vbi Dioſcorides docet in huiuſmodi rerũ probationibus uitandæ eſſe fragmenta, eligendaq; illa quæ ab una radice integros ramos habeãt. Videtis hic ab unæ radice plurimos ramulos trina ſemper diuiſione multiplicari, donec minimis tãdẽ cirris conuoluant, & ſingula interualla, maxíe à principio ueluti columbinos pedes referre. Vt hinc ſuſpicer columbinum pedem hanc plantã ab Arabe Serapione dici, quanq̃ tota etiã uua eandem fere formã aſſimilet. Ral. Nos aliam herbam columbinũ pedẽ appellamus. Cor. Scio, eam ſcilicet Geranij ſpeciẽ, quæ lata & alternis profundi⁹ crenata folia habet, alio quoq; noĩe Rupertianã dictam. Hinc etiam eo deuentum eſt erroris, ut congenerem, nempe gruina roſtra proferentem ac bene olentem ob idq; moſchatam acum dictã herbã pro ipſo Amomo complures medici credant. Meg. Aliud Amomum, q̃ Dioſcorides depingit, Plinius nouiſſe uidetur. Cord. Id neq; me latet, Dioſcoridem in hac re, non Plinium ſequor, donec quiſpiam Plinianum illud Amomũ exhibeat. Niſi male proſpicio, uideo in põte Gulielmũ Bigotium. Meg. Quis eſt ille Bigotius? Cord. Vnus diſcipulorum meo⁹ huc ex Gallia pfectus, homo

Geranium

græce & latine non uulgariter peritus & ad miraculum usque in studio assiduus, ob idq; mihi non infrequens salutator. Nig. Si placet eum accerse. Cord. Si gallico ingenio præditum hominem ferre potestis. Meg. Assueui Italis, Hispanis & Gallis. Nig. Age uocet. Cord. I puer & stantem in ponte Gallum ad me uenire iube. Ral. Ex Gallia huc ueniunt discipuli? Cor. Imo & ex Anglia & Scotia. RAL. Adde & ex Vtopia. Cord. Ne id breui fiat uereor, si iã qua lis incepit literarũ contemptus latius grassari perrexerit. Nig. Perpetuis laudibus dignus est princeps Philippus. Qui tantã labentibus literis opẽ fert, ut nouam scholã tot ueteribus iã corruentibus erigat, occidẽtiaq; passim bonarum artium studia instauret. Sed utinã firmũ perpetuumq; sit hoc eius tam utile & necessarium institutum, mentiãtur q; qui id temporaneum direptarũ monasticarũ opum prætextũ interpretãtur. Cord. Syncerior & magis pius est euãgelici principis animus, quã ut tãti doli insimulari debeat uel possit. Imo maior est ei honestatis respectus q̃ ut talem de se famã ad posteros suos transmittat. Meg. Vereor tamẽ ne sint, non tantum ex equestri ordine Analphabeti Idiotæ, qui magis arma q̃ ingenia sua expoliũt, tantumq; literas quatũ lituras amãt,

uerum etiam inter proceres aulicos habiti nõ infimi uiri, q cũ indignante Iuda ſecum muſſitent, quid hæc tanta in nihili res perditio? Et pium ergaq; doctos nõ male affectum principem ab hoc tam Chriſtiano propoſito retrahant. Nig. Qui id faciunt, ut nõ prudentes, ita etiam nõ boni ſunt uiri. Cord. Pleriq; homĩes non tã ut boni, quã ut diuites ſint curant. Qui uniuerſas tũ artes, tum reſpublicas periclitari, imo horridiorẽ, q̃ unq̃ fuerit, barbariẽ repullulare ſinerẽt, modo rebus ſuis cõſulãt. Nig. Hos utinam in quacunq; metallor̃ fodina uinctos ſeruos uerberari potius, q̃ in celebri aula cõſpicuos fumor̃ uenditores coli, adorariq; aſpiciam. Ral. Cui hæc principis liberalitas nocet? cui ſubditor̃ non cõmodat? Gal. *Salue uenerande præceptor.* Cord. Tu quoq; ſalue multũ amate propter ſtudium tuum diſcipule, Quid noui adfers? Gal. Nihil, iuſſus ad te uenire, adſum. Cord. Recte factum, accipe & bibe. GAL. Non ſitio. Cord. Non ergo niſi ſitiens bibis? GAL. Non temere, nec libenter. Cord. Et me dice & Gallice facis, utinam eundem morem & Germani noſtri haberent, & inuẽta aliquando Oenagra, abſque uino hilariores conuenirent. MEGO. Tali facultate prẽditam herbam, memini, Eoban⁹ noſter optare ſolebat.

Nig. Si nanciſſeretur, multis ille nummis parceret. Cord. At ego pluribus, ſi Scythicē Spartaniam, & Hippicen, & Latacen habere cōtingeret: Nunq̄ famerem nec ſitirem, imo omniū copia rerum iugiter affluerē. RAL. Incomparabiles adeoque fabuloſas herbas narras. Cord. Imo quales Plinius tradit. At dic bona fide mi Galle, quam in ponte gallinā opperiebaris? Gal. More tuo iocaris, ad te ibam, uerum ubi te hoſpites habere audirem, pręterij. Cord. Vis igitur mihi aliquid? Gal. Nihil ultra ſolitum, ut ſcilicet te pro cōſuetudine rus petentem comitarer, aliquotque herbas diſcerem. Cord. Quid eſt quod te melius quam ſeplaſiarius Thomas Meles docere queam? GAL. Egon' ab indocto homine diſcam. Cord. Nōne tu eum tibi magiſtrum tuum conduxiſti? Gal. Iam intelligo quo tendas: Age quis hunc ludum tibi narrauit? Cord. Quod ſciam audis, ſed tu eundem mihi recēſe, ut audiam an recte acceperim. GAL. Adiui hominem, &, ut glorioſus ſciolus eſt, interrogaui quid darē ut aliquot me ſimplicia, quæ uocamus, docere & in pyxidibus ſuis, ut cognoſcerem, exhibere uellit. Tum decem à me aureos, & ut filium ſuum in græca Grammatica inſtituerem, popoſcit. Ego nimium finxi, quicquid tamen

Burchardus Mithobius decreuerit, me daturum consensi. Est enim hic familiaris illius cõgerro. Cord. Scio & experior. Gal. Pactũ placet, ascendimus superiorem exedram, monstrat aliquot herbas, quarum tamen paruam admodum cognitionem tenere eum animaduerti, deinde, cum in tabernã uentum est, centum mihi pretiosa exotica exhibet. Cord. Nomina tantum. Gal. Imo & res. Cord. Sed non illis nominibus significatas. Gal. Id ignoro. Cord. Perge. Gal. Tandem arcanas quasdam receptulas mihi communicare pollicetur, quę damq3, ut ita loquar, superdoctoralia experimenta iactat, quibus, ubi desperantes doctores desierint ipse destitutos ęgros curare incipiat, sed omnium maxime quendam efficacissimum contra lumbricos puluerem, cuius magistralem compositionem charissimos etiam amicos cælarit. Ral. Tam ne crasse ambitiosus et philautus est homo? Cord. Nõ credi potest quanti se æstimet, quàm doctum se medicum affluentibus rusticis uenditet, quàm nihili me sui respectu faciat. Tantum abest ut aliquid ex me discere cupiat: Interim, pene dixeram, insignis asinus, ne fabas quidẽ nouit. Ral. Ego Lypsenses doctores, ut par est, dominos & præceptores meos ueneror, suspicio, & ad-

oro. Sciens me eorum esse ministrum, Idem ne facit sepiastiarius tuus? Cord. Tu audiẽtem illum sepiastiarium meum appella, qui me famulum suum uocare solet. Meg. Hei insanus est, et indignior, quàm cuius mentio fiat. Relinquatur suæ illæ stultitiæ & nos rem nostrã tractemus. Nig. Quantum ex moribus illius conijcio, forte nuper monachus fuit. Cord. Rem acu tetigisti. Nig. Quem olim monachi nunc nihilo melius (ut uideo) genus apostatæ persequuntur. Megobac. Quin una omnes tecum Corde, quod Gallus hic cupit, herbas inquisitum imus? Ral. Vt hoc petentibus nobis non recuses, oro. Cordus, Ego facilis sum, & eo facilior quod sperem à uobis me aliquid discere. Niger. A nobis tu disces? Cordus. Quid ni? cum à uilissimis nonnunquam mulierculis & colonis didicerim. Non pudet me uel à minimo puero doceri, ne dum à uobis doctissimis uiris. Quando itaque libet eamus, nulla in me mora erit, ego tamen, etiam si nulli adessetis, ultro pro consuetudine mea exiuissem, sumpto mecum uno & altero libello. Maxime enim ruri delector, ubi coram uiuas illas, de quibus domi legeram, herbas ad commendatas memorię effigies confero, & cõtemplor, ipsasq; tum nomenclaturas, tum etiam

uires ab obuijs uetulis exploro, dehinc collatis ad earum hiſtorias omnibus maturo & q̃ ſagace poſſum iudicio uel decerno, uel opinor. Gallus. Vtinam imitatus te fuerit Brunfelſius, qui bonam herbarum ſuarum partem non ad hiſtoricam fidem ſed uulgarem potius indicationem & opinionem pinxit. Cordus. Qui tu ſcis? Gal. Duos eius Tomos legi, & cum Dioſcoride contuli. Cord. Boni conſulendus eſt conatus, & prætereunda ſunt, ſi qua ſunt, errata, ſeligenda uero recte dicta. Gal. Quid ſi interim Plauſibile opus nouitate & authoritate ſua rudibus adhuc lectoribus imponat, & euellendi potius ueterum errores radices ſuas altius infigant? Ego tacendũ non puto. Cord. Loquere igitur, & ſi placet clama. Gal. Hæc tua potius fuerit prouincia. Cord. Longe inter doctior eſt Cordus, quàm ut hanc diſputationẽ, uel cum minima laude ſuſcipiat: Ambiant eam qui uelint, ego pro tenuitate mea id quod ſcio, & in quo adhuc hæreo, candide, & apertis muſarũ foribus indicabo, paratus quę melius me ſcitis à uobis ſine pudore diſcere. Ral. Quid ſtamus? Cord. Da puer leuiorem tunicam, & minorem Dioſcoridem tecum accipe. Nig. Bene admones, unus hic author ſatis eſt. Gal. Duos ego Brunfelſij Tomos habeo.

Cord. Si placet hunc prius hortulum meum, qui domui iungitur, intremus. Meg. Placet, i præ, nos te ſequemur. Cord. Deponat qui habet cornua, non niſi humiles hæc ianua tranſmittit. Ral. Pro mea ſtatura facta eſt. Megob. Quàm amœnas hic amœnitates habes Corde. Cord. Sed quas aliquando relinquere cogar. Nig. Putabam hanc domum tuam eſſe? Cord. Princeps quidem, ut eſſet, mihi dedit, ſed ſunt quidã aduerſarij mei authores, ut rurſum auferat, ſic muſcitãs rumor detulit, quod ſi fiet, alio cõcedam. Nam hæc unica eſt ancho ra, quæ hactenus me in Heſſia mea retinuit. Nig. Hoc dij prohibeant, ut tu hinc demigres, propter quem ſolum huc ueni. Cord. Conſilia mea, & quæ me cauſſa urgeat nobis amicis meis à cœna aperiam: Iam rem noſtram proſequemur. Ral. Seuiſti uideo quod miſi, ſylueſtris cucumeris ſemen. Cord. Seui id tum ſtatim, & magno iã fœnore aucta eſt planta. Ral. Ita ſolet, nam ſponte ſua maturum ſemen eiaculatur. Cord. Valerius meus ut diligens eſt iuuenis, & ſtudioſus rarum rerum obſeruator, proxima æſtate ex multis fructibus uix paucos Elatarij paſtillos cõfecit, quos, quia commodũ in pyxidula penes me habeo, tibi exhibebo, ut ſciam an bonum ſit Elaterium, non-

elaterium

dum eo ausus sum uti. Ral. Tale est & meum. Cord. Sed istum colorem Dioscorides impro bat. Nig. Verũ est, illud enim probatissimum Elaterium dicit, quod candido colore humescit, quod leuitatem simul & læuorem habet. Ob id etiam, ut idem ait, Amylo quidã ipsum adulterant. Contra, quod uirescit, malum dicit. Meg. Paulus tamen Aegineta id commendat, interprete Albano Torino, ubi de purgantibus medicinis agit. Cord. Secundum Dioscoridẽ præscriptum id diligenter factum est, nec alius, quàm quem uidetis, color resultat, sed ex radicibus candidum fit. Ita nescio an aliquid in eo capite desyderetur: Et ut de colore constet, de bonitate tamen eius, quæ ex ætate est, non eadem tradunt authores. Dioscorides bimum illud usq; ad decennium purgationibus aptum dicit, Aegineta uero quod uno anno nõ antiquius est, probat. Cõtra utrunq; est Theophrastus, qui omnium medicamẽtorum diuturnissimum, opportunumq;, quod uetustissimum est, Elaterium scribit. Nig. Cui ergo illorum credi debet? Cord. Id me doctioribus iudicandum relinquo. Gal. Difficile fuerit mihi medicinæ studium, si multę tales controuersiæ occurrant. Cord. Nihil moror, si humile medicorũ uulgus inter se diuersi, imo & si con-

tra antiquos proceres nugentur. Quis enim tunc rationē & autoritatē non sequatur? Sed cum ipsa capita & principes medici contrarijs sententijs dissident, hoc dubium facit compitum. Ral. En hic Ceruinam linguam, eam tu affinis Corde Scolopendriam esse adhuc negas? Cord. Constantissime. Ral. At hoc est contra cōmunē fere omnium medicorum cō sensum, & iam multis sæculis receptum usum. Cord. Nihil moror. Ral. Et nisi persuaseris regiam uiam non deseram. Cord. Vide eius historiam. Ral. Nulla est in indice Scolopendria. Cord. Quære Asplenō, nam hoc etiam illi nomē est. Ral. Habeo. Cord. Lege igitur. Ral. Nescio quale Scolopendra insectum sit, cui similia folia dicit. Cord. Vermis est multis pedibus, quibus non aliter ac nauis remigio suo (uelut Nicander ait) progreditur. Et si maxime ignores, legis eam herbam Polypodij modo incisuris diuisam esse, quod de hac lingua Ceruina dicere nō possumus. Nig. Vides ob id etiam Pteryga eam Græce uocari, à pinnis scilicet quas instar filicis habet. Cord. Virgilius tamē Marcellus dum ad Ceruinam Linguam plus q̄ ad Dioscoridæ uerba animū suum intēdit, incerta rei indicatione sic appellari, nihilq; in Scolopendria pinnatum uideri dicit, non ani-

maduertens quod inferius alteram Lonchitem idem author similiter incisis foliis eidem Scolopendriæ comparet. Meg. Credis nunc Ralla Ceruinam Linguam & Scolopendriam diuersas herbas? Ral. Facile persuaderer, si quæ nam alia herba Ceruina Lingua sit, indicetur, & eo facilius quod in Maiore Luminare Ceterach ueram Scolopendriam esse, si recte memini, legerim. Cord. Iam anteuertisme, sed lege etiam quæ Simon Genuates in Asspleno, Ceterach, Splenio, & Scolopendria dicit, & plane in sententiam meam non inuitis pedibus ibis. Megobac. Hanc Scolopendriam seu Ceterach olim à Latinis Calcifragam appellatā in Scribonio obseruaui, quod calculum frangat. Cordus. In Saxonia interrogatus quidam Agyrthes Spicantum nominauit. Audiui & saxatilem filiculam appellari. Nig. Est huic ut iam dixisti similima lonchitis altera, quare cautos esse nos oportet, ne fallamur. Cord. Nullum in hoc periculum est, quantum ad curandum splenem attinet, eandē enim hic ut similitudinem sic & facultatem habet. Ralla. Tabernæ nostræ non eandem omnes cetarach exhibent: Sunt enim qui tenerrimam quandam & minutissimam, subtilissimēq; incisam filiculam pro ea accipiant,

uulnerariam ſcilicet herbam. Cord. Propte rea diligentius conſulendam/ſpleni hiſtoriam duxero, in qua, quia non deſcripta ſed qua ſi tunc omnibus nota præterita eſt radix, in alteram muris auricula cognoſcẽda uenit, facta ibidẽ ad illã cõparatione, etenim cũ muris auriculæ radicem digitali craſſitudine multisq; capillamẽtis f. libratam Dioſcorides, dicit ſtatim ſubiũgit in uniuerſum eam ſcolopendrio ſimilem, minorem tamen, & maioris quàm illam læuoris eſſe, quod illi (quam dicis & ego noui) filiculę non congruit. Ral. Nondum quę ceruina lingua apud Dioſcoridem ſit audio. Cord. In Nicandro meo, quẽ tibi miſi, ad marginem ſignaui non legiſti? Gal. Petaliten in linguam ceruinam uertiſti. Cord. Eadem Phillitis eſt. Ral. Hiſtoriam eius legam. Cord. Et ſequentia eã ſcholia. Ral. Ita me dij bene ament, ut non male omnia reſpondent. Cord. Aſpicis ſimilem rumici figuram? Ral. Quę rumex herba eſt? Cord. Quam uos lapatiũ dicitis, cum lapathon debeatis. Ral. Idem fere aſpectus. Cord. En natiuum lęuorem, & pendẽtes à tergo ueluti uermiculos. Meg. Et acerbus ſapor eſt. Nig. Et folioſum potius ceſpitem uideo. Cord. Nec natalis locus diſſidet, in umbroſis enim locis & imis turribus, unde & Pyrgitis

dicta,naſcitur. Ral. Vidi & in opacis ſylueſtribus ſcatere. Hinc colligẽtes radicarij agyrthæ uænalem eam magnis ſarcinis circumferunt, propter ſcolopendriæ, quæ creditur, uirtutes expetitam. Cord. Dioſcorides eam contra ſerpentium morſus, & inteſtinorum tormina, adeoque alui fluores, quos Diarrhœam uocant, cõmendat. Nig. Vnus adhuc ſcrupulus reſtat, quem ſi mihi exemeris, tecum ſentiam. Cord. Quis ille? Nig. Nicolaus Leonicenus, ſi recte memini in eo libello, quem de aliquot medicorum erratis ſcripſit, aſplenõ quidem ſeu ſcolopendriam negauit ceruinam linguam eſſe, ſed aliam interim putauit, nempe ſequentem mox hemionitida, nõ hãc phyllitida. Cor. Me quoq; hæc eius opinio diu hæſitabundum ne facile crederem, detinuit & torſit, nec libenter à tam docto uiro & quidem præceptore meo diſſenſi. Megob. Satius eſt à preceptore quam ueritate diſcedere. Nig. Potiora ſunt rationis q̃ authoritatis momenta. Cord. Vbi tamẽ ceruinã linguam ad utranq; phyllitidos ſcilicet et hemionitidos, hiſtoriam cõtuliſſem uicit illa, nã hæc nõ undiquaq; huic herbæ congruere uidebatur. Maxime quod non lunata folia ſunt, qualia dictæ hemionitidi tribuuntur. Vidi tamen ceruinam linguam talia quodammodo

folia habere, sed in muro ob nutrimenti defectum & natalis loci angustiam potius sic deprauata. At ego Dioscoridem libere nata & à meditãte natura sic perfecta hemionitidos folia describere intelligo. Meg. Mirum est Theodorum Gazam doctissimum alioqui uirum hæc non animaduertisse, qui simili errore scolopendrion seu asplenon ceruinam linguam interpretatus est. Cord. Cum nimio studio augendæ latinæ linguæ teneretur, & omnes in uniuersum fere medici ceruinam linguam ueram esse scolopendriam putarent, facile non præsentius rem perspicienti uiro impositum est. Ral. Potuissent saltem ex nulla splenem iuuandi ui, errorem suum, utentes phyllitide pro scolopendria, medici deprehendere. Cor. Cur idem non fecerunt & adhuc non faciunt in cicutæ semine, quo pro syluestris rutæ semine, quantumuis doctiores reclament, utuntur, nõ sine magno ægrotantium periculo, nedum cum aliqua medendi facultate. Tam indulget succedens errori opinio. Niger. Idem in dictæ cornicis pede peccatur, quam falso, (ut scitis) Dioscoridæ adeoque ueterum coronopodæ credunt. Gal. Quænam huius in hac ceruina lingua erroris ansa fuit? Cordus. Forte ijdem natales & eisdem uerbis descripta historiæ bo

ſta pars, nempe qua utraque, ceruina ſcilicet lingua & aſplenos, ſine caule, ſine flore, & ſine ſemine indicatur. Gallus. In Nicandro tamen legi caulem ſcolopendriæ tribui. Cord. Quæ non poëtis permiſſa licentia? Hac eadem Virgilius & Statius dictamno florem affingunt, quem tamen Dioſcorides negat. Ral. Quam in noſtra etiam regione radicarñ agyrthæ dictamnum effodiunt, floret, & ſemen nanciſcitur. Cordus. Vera nos dictamno carere multa argumenta ſunt ut credam. Gal. Cum Nicander tot contra uenenatos morſus herbas enumeret, mirꝝ q̃d huius dictamni, cuius præcipua contra eos facultas eſt, nuſquam meminerit. Cord. Forte alia in eo hoc nomenclatura latet. Nig. Quam pulchros hic flores uideo, quo illi nomine uocantur? Cord. Hi ſunt quos tu in Politiani ruſtico diſcipulis meis Erfordiæ quondam immortales amaranthos interpretatus es, ſic dictos, quod fere nunquam marceſcant. Nig. Nunquam, quod ſciam, antehac uidi. Ral. Amoris flores nunc appellamus, quam autem ob cauſſam ignoro. Niger. Forte quod eius ſymbolum gerunt, quemadmodũ enim illi immarceſſibiles ſunt, ſic & is eſſe debet. Cord. Ego tamen hanc uero ſimiliorem puto, quod qui eos ſic primum

dixit amaranthum ex amore & antho, (quo omnes iam uel male latini medici florem Grę cis ſignificari ſciunt) componi crediderit. Megobac. De hoc nihil curandum. Videndum potius quem in medicina effectum habeant. Cordus. Nullum quem me legiſſe meminerim. Gallus. Magnum domine. Cordus. Quem ergo? Gal. Galenus incidentem & extenuantem amarantho facultatem tribuit, & comam eius menſes ducere, grumos item ſanguinis non tantum in uentre ſed & in ueſica ſoluere, imo omnes fluxiones deſiccare dicit. Cord. Non hanc ille herbam ſed aliam intelligit à Dioſcoride heliochryſum dictam, quę etiam amaranthus appellatur, quod & eius immarceſſibilis flos ſit, Hinc & noſtrates puellæ hyemales ſibi corollas ex utraq; ſimul amarantho faciunt. Ral. Noſti ergo heliochryſum? Cord. Omnes eam uos pariter nouiſtis, non hoc tamen ſed citrinæ ſtœcadis nomine, in qua etiam herba multi herbarij errant, eam cum Seriphio, i. marino abſinthio falſo commiſcētes. Ni. Paulus tamē Aegineta duo facit de amarāthο & heliochryſo capita, quaſi duæ diuerſæ herbæ ſint. Cord. Idem in multis alijs facit, ignorans ne, an abunde diligens neſcio. Meg. In q̄bus ergo? Cord. Diuerſas forte her-

bas credit cacaliam à cancano, neurada à pote rio, echinõ ab erino, myarõ à myagro, chamæ dryn à chamęrope. Nig. Si hoc peccatũ eſt tũc magnus ille Plinius ſimiliter & quidem crebri us peccat, melius eſt de eadem re bis quam nihil dicere. Ral. Putas ergo citrinam ſtœcadã dictam à Dioſcoride heliochryſum & Galeni amaranthon eſſe? Cord. Sic mihi perſuaſi, licet foliorum ad abrotanum comparatio aliquãdiu me retinuerit. Meg. Duplex ergo amaranthus, purpureus ſcilicet & luteus eſt. Cord. Vt dicis, ille plane nullo, hic autem nõ iniucundo odore. Ral. Hæc forte cauſſa, quod ueſtib⁹ interponitur. Cord. Imo, quod à tineis eas tueri creditur, ob id etiã tinearia à pleriſq; dicta. Gal. Tinearíam ego poliũ eſſe in Brunfelſio legi. Cord. Id non aureã ſed albam comã habet. Nig. Plinius aureos quoq; bulbos Heliochryſo ſuo tribuit. Cor. Puto illic errari, & pro bulbis bullis forte legi debere. Meg. Quid ſi periculũ faciamus de hac herba? non hiſtantũ, quas Dioſcorides recẽſet, facultatibus, ſed & illo q̃d Theophraſtus de ea tradidit, nempe gratiam & uitæ gloriam eum conſequuturæ, qui heliochryſi floribus coronetur. Cord. Falſum hoc uel hinc arguitur, quod multæ hic puellæ hac herba coronatę incedãt, & peſſimam interim

famam habeant. Nig. Imo uerum esse Theophrastum constaret, si quod ibidem quoq; faciendum sequitur, aureo se illæ unguento inspergant. Cord. At ego aliam hac facultate prædi tam herbã scio, si usq; reperiri possit, non enim temere, nec passim, sed maxima difficultate & rarissime nascitur. Ral. Quod ei nomen? Cor. Virtuti. Nig. Id credere nõ est superstitiosi hominis. Meg. Putabam te antirrhinum intelligere, de quo idẽ Theophrastus nescio qd simile promittit. Cord. Ei qui illo ungitur, gratiã cõciliari. Nig. Eadem apud Plinium de Polio uanitas. Cord. De tripolio autem id intelligi debere, apud Leonicenũ puto uos legisse. Porro quid dabitis & antirrhinum illam uobis indicabo? Ral. Euge nostis? Cor. En hic decerpe. Ral. Hæc est quam hodie orant appellamus. Cord. Marcolpho ei nomen indatis, per me licet, modo res ipsa constet. Gal. Hæc non est hederacei folij similitudo, qua quosdam ætatis nostræ herbarios eam herbã deprẽdisse Virg. Marcellus dicit. Cord. Quam & an ueram antirrhinõ deprenderint, nescio: Certe in hac de inceps adnata uitulina capita, unde & bucranion ea Galeno dicta, et patulas in eis nares uidetis. Neq; scio qui hederaceum ei folium cõgruat cum id Dioscorides anagallidi, Theophra-

ſtus uero aparinæ comparet, ſed hoc neutram referre; imo lino, (ut etiã quidã dixerunt,) magis ſimile uidet. Suboritur ergo ſuſpicio nunquid antirrhinõ eadẽ cynocephaleæ herba ſit, à ſimilibus ſcilicet capitibus, quæ eadẽ & Oſiri tes, q̃d oſirim, id eſt, linariam fere exprimat, dicitur. Ral. Oſirim linariam appellas? Cor. Cõfer eius ad hanc caput, & eandẽ dices, quãtum ad figurã attinet: Nec obſtat quod pauciores ibi facultates de Oſiride q̃ recentiores medici de linaria ſua ſcribunt, inuenias, cũ hæ ex illis fluãt. Nig. Si cinocephalea hæc eſſet, dudũ Rall a noſter expiraſſet, modo uera ſint quæ Appion, (ut apud Pliniũ eſt) de ea ꝓdidit, ſtatim ſcilicet mori eũ q̃ cinocephaleã eruit. Ral. Dñ melius. Cord. Tã leuẽ te eſſe nõ puto, ut huiuſmodi uanitates credas. Meg. Tecũ ſentio Corde, & hãc antirrhinõ eſſe nõ dubito. Cor. Id ut facias nõ urgeo, imo etiã nolo ſi temere & citra ꝓſuadẽtẽ rationẽ ſuſpicari & opinari uideor. Gal. Sed hæc rotundũ, nõ anagallidis, caulẽ habet. Cord. Interim tñ tẽpore ſuo purpureos & uiolis fere ſimiles flores, atq; illa, unde nomen, capita, & conſpicuas in eis nares. Meg. Et prominens inter illas quaſi corniculum, ut & rhinoceron appellari poſſit. Nig. Proceras atq; elegantes hic habes roriſmarini plantas. Cor. Pe

rierunt mihi his quatuor non minores aliæ sex hyemis iniuria, & nisi has in fictilia uasa transpositas domi tepido aere fouissem, nullas iam haberem. Gal. Vulgaris est in Gallia herba. Cord. In Italia quoque frequens nascitur, ubi ea rustici uenales lepores infarciunt. Nig. Fructum eius cachryn exhiberi mihi uelim, cuius crebra apud antiquos medicos fit mentio. Cord. Quæ cachryn fert herba ne in calida quidem, (ut puto) Italia, nedum in frigida Germania prouenit. Nig. Putabam liba notida Latine roſmarinum dici? Cord. Dicitur quidem, ſed hæc alia eſt, ei ob aliqualem foliorum ſimilitudinem cognominis. Vera liba notis longe diſſimili hiſtoria indicatur, nempe fœniculaceis ſed latioribus craſſioribuſque & rotæ modo in orbem circumagentibus ſe foliis, olente thus radice (unde & nomen) & copioſo ſemine conſpicua in ſummo unbella, multiſq; alijs apud Dioſcoridem uidendis notis. Quibus parum animaduerſis pleriq;, imo omnes fere hodie medici ueræ illius libanotidos exiſtentes uires huic coronarię libanotidi falſo tribuũt. Meg. Sed quo nomine Dioſcorides lauandulã hanc appellat? Non eñ tã odorifera m et multi iam uſus herbã latuiſſe eũ credi derim. Cor. Ingenue fateor me ignorare, ego

quoq; iam olim id ſcire cupiens ipſum Leonicenum Ferrariæ idem interrogaui, qui & hãc coronariç libanotidos ſpeciem eſſe reſpondit. Ligures adeóq; Genuates herbarij pro Celtica nardo eam exhibent. Hinc ſunt qui Celticã ſpuam, & factum hinc oleum, ſpicatum oleum nominent, quod uagi apud nos agyrthæ ꝑ bal ſamino oleo uendunt, miſerisq; modis credẽti id uulgo imponunt. Nig. Sed Celtica nardus longe alia res eſt. Cord. Id & ego ſcio. RAL. Quæ hæc eſt arbor? Cord. Quæ iam Armeniaca mala ferret, niſi intempeſtiuo gelu præproperi flores perirẽt. Nig. Sunt ne fructus illi, q̃s Germanice amarellen nominamus? Cord. Sic opinor. Meg. Hæc mala ediſſe me Erfordiæ in hortulo tuo memini, quem nunc habet Iohãnes Langus. Cord. Noli me amiſſarũ delitiarum admonere. Meg. Velis itaq; hunc adhuc hortulũ poſſidens Erfordiæ agere. Cord. Nullubi libentius, modo tranquillus eſſet reipublicç ſtatus, ſopitæq; ciuium diſſenſiones, ſublatæ item religionum ſectæ, ſed ante omnia inſtaurata ſchola, & accitis in omni diſciplinarũ genere profeſſoribus. Meg. Dolẽdum eſt tam celebre quondã gymnaſium iam adeo nutare, neminẽq;, ne prorſus corruat, dorſum ſuum opponere. Nig. Eobanum noſtrum ex Noren

berga reuocarunt. Cord. Vna hirundo non faciet uer. Ingentes ſumptus Erfordianũ ſenatũ facere oportet, ſi hinc uel mediocriter frequẽtem ſcholam uelit, qualis iam eſt rerum mutatio, & exoſum bonas literas ſæculum. Meg. Si omnino inductas tenebras uolumus, ipſum q̃que e mundo, ſolem auferamus. Nig. Per male res cecidit optime Corde, ſperabamus à nouis theologis ipſam ſophiſticen & barbariem eradicatum iri, cum nec opinantibus nobis bonis interim literis inflictũ ſit paſtinum, ut exiguã admodum ſpem habeam eas unq̃ poſſe repullulare. Hinc etiam longa eis dicta ſalute exemplum tuũ ſequor, et medicinæ me dedo. Cord. Recte rebus tuis conſulis, ut idẽ olim facerem præceptor meus Ludouicus Placenta Melo-ſingus mature & diu ante has religionis turbas admonuit. Meg. Superſtes ne adhuc optimus ille uir? Cord. Nuper hic nobiſcum fuit, inuiſit me ſuum olim diſcipulum, & ſcholam noſtram perluſtrauit. Totus quidem canus, uerum pro ætate ſua ſatis incolumis eſt. Megob. Perpetuũ optime ualeat, ſic inſignis eius probitas meretur. Cord. Idem & ego precor propter plurima eius in me beneficia: Atq; utinã tanta mea fuerit aliquando facultas ut eidem & Ludouico Chriſtiano Frãcobergio cogno

mine ſuo digniſſimo diuini ꝟbi in patria ſua diſpenſatori etiam meo quondam pręceptori meritam gratiam referre queam. Ral. Non eſt præſens de iſtis loquẽdi locus, herbas inquiſitũ ingreſſi ſumus, tales ad cœnam ſermones reſeruate. Non quod ſua tam bonis uiris encomia inuideam, ſed ut commodo dignius ea tractentur tempore. Cord. Ego nullas hic herbas tibi incognitas eſſe exiſtimo. Ral. Quæ eſt illa, medio inter rumicem & Saracænicam ſeu Romanam mentam folioſ CORDVS. Nuſquã hanc niſi hic Marpurgi uidi. Zinziberinam appellãt, atq; ea eſt, quam Arnoldus de uilla noua in quodam Fori Iulij cãpo iuxta neſcio ꝙs muros tantum naſci dicit, piperinæ noĩe quod acri ſapore ſit: Et hanc accipiendam docet in quodam Iohãnis Florentini unguẽto, ubi ille Tapſiam habet, qua tamen nomenclatura & aliam quandam herbam ferulacea ſpecie fœniculateiſq; foliis indicari ſcitis. Nig. Quod ſi capſia legendum ſit, quo quidam nomine certum naſturcij genus appellant., Ral. Tantis foliis nullum eſſe naſturcium puto. Cord. Non temere ſuſpicaris, Paulus enĩ Aegineta ubi coxẽdicis curã docet, agreſte ꝙddã hiberidi cõgener naſturcium nõ multũ his abſimilibus putat laurinis longe tamen maioribus foliis indicat.

RALLA. Forte Arabum ſeitaragi intelligit. Cord. Id Dioſcoridis lepidion eſt, quod mihi Ferrariæ minutiorib⁹ aliꝭs'q; foliꝭs indicatum eſt. Ral. Eſt & dictum ſeitaragi Indum. Meg. Iam ſuccurrit Barptholomæum Mõtagnanã in quodam contra elephantiaſim conſilio Seitaragi Indum ſuccum Tapſiæ (capſiæ legi debere puto) interpretari. Nig. Id meæ patrocinatur opinioni. Cord. Auicenna ſi non aliud aliter tamen ſeitaragi Indum deſcribit, nempe parua & ſubtilia quaſi ligni fruſta, ſimilesq; cariophyllis cortices imo & aliud quod fructus ſit ad rubedinẽ & nigredinem declinans: Mox tamen quaſi diuerſum ab his adiecto articulo alſeitaragi herbam ſubiungit naſturcij foliꝭs, quæ in æſtate plurima ſint & paulatim adeo minorenter ut non appareant. Hinc aliquãdo ſuſpicio ſubꝭt eã eſſe, quã Saxones roripp̃a appellant. Verum tamen cum idem author folia eius mox cordumeni cõparet, nihil auſim decernere. Meg. Cardamomo igit̃ ſimilia eſſent folia. Arabum enim cordumeni Græcorꝫ cardamomum eſſe ſcitis. Cord. Imo herbã à Nicandro hordeilon, à Dioſcoride tordylon, ab Aegineta uero gorgylon uocatã, hoc eſt Creticum ſeſeli pandectarij medici ſic nominant, Quam olim Leonicenus mihi Ferrariæ oſten

dit similibus putato meliloto uerũ minoribus & in circuitu minutissime crenatis foliis, qualia neq; nasturciũ (cui Auicẽna alsceitaragi suũ assimulari dicit) neq; dicta Saxonib⁹ roripparia habet, cuius folia nisi ualde exilia essent ad sumariam potius accedere uiderentur. Quę paulatim pereuntia ramulos relinquũt nudos & semine in siliculis nasturcij sapore plenos. Sed hæc nihil ad hanc siue piperinã siue zinziberinam pertinent. Ral. Vt ex uerbis tuis intelligo neq; uerum melilotum habem⁹, dicebas enim putato meliloto. Cord. De hoc non solus ego imo plures mecum alij dubitant. Ob id à Dioscoride exactius descriptã eius historiã uelim. Vbi in Italia essem, exhibuit mihi Vincentius Caprilus hospes meus in emptis ad equi pabulum graminibus, pro eo herbã quã hic bernklehe id est ursinum trifolium dicimus. Hæc hactenus Serapionis alchilelmelich historiã exprimit, quod floribus suis quasi in semicirculum positis, regiam coronã referat, & post eos exiles rotundasq; siliculas habeat, in quibus minora sinapis granis semina. Sed hæc admodum infirmo, imo quasi nullo est odore, qui tamen egregius meliloti est. Neque liguistici folia habet, quæ dioscorides meliloto cõparat. Sunt qui herbã, quam Saxones nárts appellãt

fœno Græco ſcilicet ſpecie & odore ſimilem, niſi ꝙd nõ in corniculatis ſiliquis ſed echinatis capitulis ſemen ſuum fert, melilotum putent. Quæ huic hiſtoriæ eius parti reſpondet, quam ex Dioſcoride Serapion citat. Videlicet eſſe meliloti genus, quod fœno Græco aſſimiletur, quæ tamen uerba in uerſo per Marcellum Dioſcoride non leguntur. Idem Serapion ipſo tantum ſemine una cum ſiliquis ſuis utendum docet, quod non ex Dioſcoride colligitur, qui totam plantam medicinæ accommodat. RAL. Vtcunq; ſit, quia dubius relinquor, uſitato hactenus meliloto me uti oportet, donec uerum cognoſcere & habere liceat Cord. Quam proximam uidetis theriacariam hic uulgus nominat hanc magis puto hiſtoriæ Phu q̃ dictam ualerianam reſpondere. Meg. Grãdiora ſunt hæc q̃ ualerianæ folia. Cor. Talia eſſe oportet ſi ceruiocello comparari debeant. Nig. Concauum etiam & lęuẽ teneruḿq; ac in purpura albicãtem caulem cernere licet. Cordus. Effode radicem Ralla, & uidebitis hanc quoq; hiſtoriæ reſpondere. RALLA. Eandem figurã eundeḿq;, quem ualeriana, odorem habet tãtum maior eſt. GAL. Sed ubi ſunt ſimiles narciſſo flores? CORDVS. Vbi ñdem in ualeriana? in qua plura quàm in hac deſunt, quæ Phu

historiam perficiant, NIG. Iam non uerum esse uideo, quod Brunfelsius ait, Phu sine controuersia nostram esse ualerianam. CORdus. Quod ego hic decerno hoc tantum est, hanc theriacariam ualerianæ in uiribus ubertim respondere, si non eam superat. Quod autem quidam hic docti eandem theriacariam Gallicam spicam esse putant non facile nec temere credo, discrepante historia. NIG. Tenerum ne hanc fœniculum an anethum dicam? Cor. Audiam quo eam nomine RALLa noster appellet. Ral. Nos meu uel ut uos dicitis meum uocamus. CORdus. Scio, at ego Creticum daucum esse leui testimonio persuaderer. Conferte huc utriusque, mei scilicet & dauci picturam, & ipsi iudicate num temere opiner. Gal. Qui Germanico sermone appellatis? Cordus. Behrvurtz. Nig. Si peregrinum ac rarum olim nunc uero nullum in Italia meũ est, ut Virgi. Marcellus ait, non id in Germania inueniri putarim. GAL. Hanc tu nigellam esse quondam aiebas at Brunfelsius longe alia eam figura exhibuit. Cord. Forte in eius manu nõ fuit quæ cuiq; herbę facies deliniaret, quanq̃ non uideo qui defendi possit cum ex uulgari indicatione Germanicum nomen, radam scilicet, adiũxerit. Ral. Ego tibi credens, ab eo tempore q̃ mẽ

admonuisti, hāc nigellam habeo, sed sunt quidam qui non credant, quod non promiscue in pratis, sepibus, ~~limitibus~~q; ut Virg. Marcellus nec inter frumenta ut alij medici dicunt, sed in hortorũ areis sata & culta nascatur. Cor. Quasi non aliæ apud nos herbæ uix diligenti cultura proueniant, quæ alibi sua sponte scatēt. Quã illi nigellam accipiant uiderint, ego hanc ueram nigellã esse scio uel à uulgo persuasus qui, contra destillationes semen hoc lintheolo inclusum olfacit. Hanc enim nigellæ facultatem omnes medici tribuunt, quod humidum cerebrum exiccet. Meg. Videã id & gustem idem & sapor & aspectus est illius nigellæ, qua Patauini & Veneti medici utuntur. Nig. Hic iudicium tuum expecto Corde, qua hos flores nomenclatura prisci herbarij indicarint. Cord. Ego quoq; tecũ hæreo, multũq; ac diu sed frustra laboraui, ut quod tu me interrogas scirē. Legi quę multi multa de his scribunt, sed ad patatum meum pauca faciunt, subscribo his qui artificio quodã factos illos flores, & antiquis ignotos fuisse existimant. Meg. Inter eos certe & Manhardus noster est. RAl. Nos caryophyllos à simili scilicet odore, dicim⁹ & apud Iacobum Manlium maioris Luminaris nostri autorem de eis legisse me recordor. Cord.

Hunc inter ueteres non cõputo, nec quicquam ille certi, imo ignotum sibi nec usquã apud autores lectum eorum nomẽ dicit. Ral. Sunt qui herbam tunici appellẽt. Cord. At magnus Mediolanensis in quodã libello quod sanitatis regimen inscripsit, ubi de prohibendo uenæno agit, herbam tunici ait esse quam Dioscorides polemonium nuncupat. Id ego ut non negare sic nec affirmare possum. Gal. Brunfelsius polemoniam syluestrem rutam dicit. Cord. De his quæ nescio non iudico, idem hiberida uincitoxicum interpretatur, an recte, admodum scire cupio. Nig. Est ne hæc tithymalus? Cord. Sic appellatur quidem hodie, Dioscorides tamen extra septem illa tithymalorum genera seorsum ponit, & lathyrida appellat, pro qua in Pãdectis Latiua & inferius alio capite letura legitur quasi diuersæ herbæ sint, cum una et eadem sit quam etiam cataputiam minorẽ dixit. Sed catapotia Græci plurali scilicet numero, proferunt, intelligunt́q; quas nos pilulas dicimus. Pro his enim utentes Italoꝝ rustici huius herbæ similibus fructibus hoc ei nomẽ indiderũt. Ral. Maiorem cataputiã similiter noscere me uelim. Cord. Eam semel in Germania uidi, nẽpe Cassiliæ in horto Iohãnis Rui Nordecij, qui harum etiam rerũ non parua cupidine tenet.

Mo. Bot. Garden,
1902.

Vocant Germani hãc plantã Vuundelbaum, Latini ricinũ, Greci crotona & cici, Arabes uero cheruã, Ral. Hinc igiť oleũ de cherua, cuius tam frequẽs in receptulis ueſtris mẽtio fit, exprimiť? Cord. Maxime, cicinũ & ricininũ etiã dictum. Sed miror cur illud noſtrates medici tam frequenť ſcribãt, cum hic nõ habeať. Ral. Ego illo & omnibus quę nõ habeo, carere me, ingenue fateor, ut ſcribẽtes mihi doctores ąs uelint ſuccedaneas medicinas ſubſtituãt. Cor. Multa huiuſmodi exotica ſunt, quę magno hic emimꝰ, qbus tamẽ nullo deſyderio carerꝰ, exiſtentibus apud nos ſimili facultate prædictis aliįs non difficulter, imo gratis acquiſibilibus. Qualia zinzipha ſeu ſerica, quas iuiubas, mixæ ſeu mizæ quas ſebeſten, rhos, quem ſumach dicitis, ut alia plura taceam. Meg. Tales multi ſumus medici ut religioſum putemus à præſcriptis Arabum receptulis uel latũ pilum recedere. Cord. At ſemper inuentis uti & nihil inuenire, nihil mutare, augere, & minuere audere, id miſeri & cecutiẽtis eſt ingenij. Quãquã receptularij illi medicaſtri in maxima iã æſtimatione ſint, & ad omnes ſoli ægros uocentur, contemptis interim multis qui nõ tantum laborantibus hominibus melius q̃ illi, ſed ipſi quoq; medicinæ mederi poſſent. Megob.

Cur & illi non impossibilia promittunt, magnifica mentiuntur, & egregie imponunt? Nig. Id boni & docti non faciunt, & si uelint, nequeunt. Cord. Iam ego uicissim à uobis discere cupio, quæ hæc herba sit. Meg. Nisi ex solani generibus fuerit ignoro. Cord. Opinaris ut ego. Niger. Halicacabum forte intelligitis? Cord. Halicacabus est, q̃ Arabes et eos imitãs medicorũ uulgus alkekengi nominãt: Hæc ꝟo herba altis & crassis caulibus surgit, ꝙs cernetis, nisi huc nuper translata uix dũ coaluerit, folio quali uidetis, halicacabo quidẽ simili, sed maiore: Floribus ferrugineis apollinaris seu symphoniacæ, id est, hyoscyami flores imagĩe referentibus unde tandem similes cerasijs acini nascuntur, quibus paucis uescentes pastores somnũ conciliant. Hinc etiam Germanicũ reis nomen, ꝙd schlafbeehr .i. somniferi acini & ipsa herba, ꝙd insaniã faciat, tholkraut .i. maniaca uocet. Ral. Forte lunaria est seu faba inuersa, sic em̃ somnificũ solanũ, nisi male intelligo, Iacobus Manlius noster appellat. Cor. Vt id credã somnifici solani historia non patitur. Plura quæ de furioso solano indicantur, huic herbæ conueniunt, inter quæ illud præcipuum est quod huius radix miras & ut ex eã accipientium gestibus ac moribus liquet, non illepidas

rerum ſpecies & imagines repreſentat, cuius rei multa exempla ſcio. Solent enim quidã hic medicaſtri hanc radicem arthriticis ęgris, quã recte autem neſcio, propinare. Nig. Forte eadem radix eſt, cuius ego inſigne experimẽtum ſcio. Coquus quidam hanc in puluerem læuigatam multo uino miſcuit, & omnes id bibentes ridiculis geſticulationibus inſanierunt.

Cord. Quam tu intelligas, neſcio, hæc candida & craſſa eſt radix, naſcitur non tantũ in montanis locis, ut de furioſo Solano Dioſcorides ait, ſed imis etiam uallibus, ut in Renhardina ſylua ubi maxima eius copia eſt, uidi. Megob. Erucę adeoq; acanthi, quam pæderata uocãt, folio ſolanum furioſum à Dioſcoride pingit.

Cord. Eundem acanthum Ferrariæ uidi imis foliis quaſi dictæ urſinæ brancæ ſimilibus ſed longe maioribus, hinc eum qui indicauit, brancam urſinam ~~Romani~~ uocauit. Gratum præbuit mihi ſpectaculum uel ob id, quod Virgil. eius in Bucolicis meminit. Ab hac tamen hiſtoria quod huius herbæ folium uidetis, diſſidet: ob id aliquando dubitare ſoleo, num uerum illi opinentur qui nuper eam contemplati mandragoram eſſe uoluerunt, Perſuaderi tamen nequeo, quod uterque mandragoras Dioſcoride autore nullum habeat caulem, qui

in hac non unus & quidem altus assurgit. Item quod hæc non ouorum uitellis, ut mandragoras, sed cerasijs ut dixi similia poma, eaque nigra ferat. Nisi malim Theophrasto & Plinio credere, qui mandragoræ caulem & minutũ acinum tribuunt. Gal. Ego plurimos mandragoras uidi uendentibus eos circumforaneis agyrthis plane humana effigie. Cord. Age tu fictitias illas imagunculas ueras mandragoræ radices putas? GALLVS. Quid ni? cum tales eas natas cõspexerim anthropomorphi nomen repræsentantes. Cord. Nolo tecum de friuola re serius contendere. Tu Ralla eas imagunculas pro mandragoræ radicibus uendis? RALLA. Nequaquam, sed quas ueri esse mandragoræ credo. Cordus. Putaram te Galle uel ex ipsis scholijs, quæ Virgilius Marcellus mandragoræ capiti addidit, certiorem factũ huiusmodi nugas & superstitiones ridere. At forte more tuo etiam rem aliter sciens contendis. RAL. Ad alias herbas pergamus. Qui hanc apellas? Cord. Chamæcyparissum. GAL. Est igitur cupressina latinis dicta. Cord. Id nescio, lego tamen chamæpytin, id est, aiugam sic dici, quã ignorantes chamæpytin esse medici iuam moschatam hodie nominant. Megobacchus. Veram habet no-

menclaturã chamæcyparissus hæc, simillima enim facies est cypariſſo arbori. Cord. Similis quoq; facultas etenim ut Nicander cupressum sic hãc etiam herbã Plinius contra Venenatos morsus commendat, ut alias interim eius uirtutes taceam. Nig. Humilem atque ualde exiguum fuisse oportet Aeneæ filium Ascanium quem auia Venus sub hac non alta herba, ut Virgilius noster canit, occuluit. Mego. At sunt qui eã non amaracũ esse putẽt. Ral. Nos maioranã dicimus. Niger. Tu Corde quid censes. Cord. Galenus non hanc sed aliã herbã amaracum appellat, eã scilicet quã hic nasci uidetis. Ral. Hæc autẽ matricaria nostra est. Cord. Et Dioscoridę Parthenion, quã oculũ solis Marcellus interpretat̃: Cognominat̃ tamẽ & ipsa amaracus, quẽadmodũ & hoc, q̃d tu Niger indicas, samsychon. RALLA. In libello tuo de pseudotheriaca amaracon, quæ pastillos Alindaracaron, id est, hedicroi ingreditur non matricariam sed dictam hodie cotulam fœtidam appellas. Cordus. Vt sic errarem Virgilius Marcellus author fuit, qui in scholijs partheníon seu hanc amaracon chamæmelo tam similem pingit ut legentes fallat, & uiroso esse odore dicit. Imo & ipsum cautę (unde cotula deducta) nomen in eiusdem partheníj historia

mihi imposuit. Cum etiam suprema excreti coriandri folia quibus parthenion Dioscoridis comparat, non admodum dissimilari uidissem confirmata est hæc mea opinio, donec alios quosdam Nicola. Florentino subscribere, & hanc matricariam hodie dictam Galeni amaracum et Dioscoridis Parthenion ac Auicennæ emeruchit asserere uiderẽ. Quibus facile dehinc credidi postq̃ eam herbã nuper nata coriandri folia plane referre aspexissem. Meg. Et Itali medici quorum diligens has res obseruandi studiũ est, parthenion siue amaracũ hãc matricariã esse affirmant. Nig. Miror q̃d Galenus hanc herbã, ut in iii. de cõpositis libro uidere est. Romę difficilẽ acquisitu dixerit, cũ hic passim scateat. Cord. Id cũ & ego legerem, statim opinionẽ meã à fœtida cotula retraxi quę adhuc uulgarior & copiosa fere ubique herba est. Nig. Albanus Torinus in trãslato à se Paulo Aegineta amaracum & samsychon uno eodemq; maioranæ nomine appellat. Cord. Male, quemadmodũ & melian quæ fraxinus est, Persicana. Nig. Vtinã hi soli in hoc opere erro res sint, in multis eũ alijs maioris momẽti hallucinatũ aiũt. Cor. Inueni et ipse nõnulla q̃ mĩ etsi græcas lĩras nõ calleã nõ ꝓbe interp̃tata uidenť. Ral, Cuperẽ nouos illos translatores qui

ita expectationem nostram fallunt, uires suas, priusquam impar onus subeant, perpẽdere ac metiri. Meg. Vt optima fide omnia transtulerit, tamen nimia sua affectatione lectorem absterret. Cord. Illius uitiũ per amicos eum admoneri uelim hominẽ alioqui de medicina nõ male merentem. Gal. Quam bene autem non facile intelligo, ut qui sua ista, quã sicut omnibus inuisam ita merito Megobacchus taxat, affectione adeo lasciuit, ut uerendum sit, ne, dum tanto elegãtiam ostentandi studio indulget, uel plura uel aliter quam autor ille, quem interpretatur, forte habet, quędam etiam minus expresse ac proprie aliquando dixerit. Quod ut alibi leue nonnunquã uitium sit, certe in medicis libris immane semper piaculum est, in quibus, ut cũ Rabelæso meo loquor una uocula uel addita uel expuncta, quin & apiculus inuersus aut præpostere adscriptus multa hominum milia haud raro neci dedit. Niger. Quid ergo fiet si quis tam profunde hallucinetur, ut pro glãde balneũ, pro parte medimnũ, aliaq; his non minus absurda inuertat? Cord. A duobus me non leuibus dubijs expedis, quorum primum est, ꝙd in capite de podagra & arthritide ad uehementem earũdem passionũ dolorẽ tantum cataplasma describit, quãtum

ad decem parietes deliniendos satis sit, utpote quod ex fœni Græci medimnis tribus, loliateq; et cicerum farinę uniuscuiusq; medimno uno constet: ubi, ut iam audio, partes intelligendæ sunt Alterum quod colicis nimio dolore oppressis ex melle, cymino, nitro, alijsq; similib⁹ rebus balneum adhibendum uerterit: ubi glã dem procul dubio intrudendam Aegineta docet. Meg. Facilis est ex balano in balineum lapsus. Nig. At debuerunt eum descripta ibidem simplicia faciendæ balani admonere. Cord. Multa adhuc alia similiter mihi negotium facessunt non tãtum in hoc Aegineta sed in alijs etiam, quos uertit, authoribus, quæ, quia non sunt præsentis instituti, inter cœnandum, quid intelligenda sint, inquiram, iam cœptum nostrum prosequamur. Ral. Priusq; hinc pergamus scire cupio quæ maron sit, quoniam Aegineta in pastillis hedychroi, ut Torinus interpretatur, maron pro parthenio seu amaraco posuit. Cord. Doctioribus id diuinandum relinquo. Meg. Manhardus origani speciem putat. Cord. Ob id etiam à Dioscoride origanis dicitur. Quam legitimum autẽ hoc caput mari apud eundem authorem sit, hinc patet quod in antiquissimis exemplaribus nõ reperiatur, neq; fuisse credendum est, quod neq; Galenus

neque similius eius Aegineta in medicæ materiæ censu moron uspiam posuerit. Quo magis miror quod in dictos iam pastillos receperit. Nig. Aliud parthenion Pandulphus Collinutius nescio quo gensemini nomine depingit, sed quia uehemens est is præceptoris tui Leoniceni insectator, forte nihil quæ dicit moraris. Cord. Sic præceptoribus meis & quibusq; authoribus addicor, ut emergenti indicatæq; ueritati potius assentiar, Eam quicunq; demõstrarit me suum habebit assectam, Id an Collinutius ille fecerit, nolo meũ hic iudiciũ proferre. Multa quidem, quæ coarguti Leoniceni & defensi Plinij quandam præ se speciem ferant, anxie collegit, omnemque lapidem mouit, ut salua tanti uiri authoritas ac fides perstet, quẽ tamen non uno lapsum errore liquet, sed interim facili dignum uenia, ut cuius tanta tam uariæ materiæ, totq; grauium officiorum mole oneratus animus non potuit nõ aliquando labare. Meg. Si Pãdulpho illi credimus, tum suauem adeoq; gratum, unguentisq; aptum parthenij odorem dicemus, ut uel ob id etiam myralium quasi unguentaria & pelecynus, quod eadem odoris suauitate nos pelliceat, dicta sit. Cord. An pelecyni nomen à pelliciendo deueniat aliorum esto iudiciũ, hoc tãtum hic dico,

grauem odorem huius siue parthenij siue amaraci à Dioscoride nominari, cui Galenus quoque subscribit, qui idem eandem amaracũ quasi non boni odoris unguento cuidam nequaq̃ miscere uoluit, tantum abest ut ex ea, quod idẽ Collinutius putat, preciosissimum & suauissimum illud amaracinum fieret. Nig. Hoc est ergo quod dixi non hanc scilicet ipsum sed aliam parthenion intelligere, quam uulgus genseminum appellet. Meg. Forte iasmini flores sunt, & hinc corruptum hoc nomen inualuit. Ral. Sœpe mihi recipiẽdum nunc ieseminum, nunc gẽseminũ oleũ scribitur, at ego hactenus id habere, nec quodnam sit, et qui fiat, scire potui. Preciũ ergo operæ feceris mi affinis si hoc iã à te didicero. Cor. Et ego in eadẽ tecũ caligine cęcutio. Megobaccho tamẽ subscribo, q gẽ seminos iã dictos iasminos esse flores nõ temere existimat, ꝙs ego aliquãdo ꝓpter historię similitudinẽ eosdẽ esse leucoïs putaui, sed cũ uideã Serapionẽ seorsim à cheiri id est leucoïs illis, de his, capite scilicet de iesemin & Zãbach, scribere, nõ abre hæsito. Me. Dioscorides quoque diuersis capitib⁹ de leucoïs et iasminis floribus agit. Cord. Iasmini tñ ungẽti meminit, nihil tñ dubito, ex iasminis id floribus olim fieri solitũ, idemq; esse ꝙd et sambacinũ hodie no

minatur,ſed an habeatur,neſcio. Gal.Puto id eſſe quod Aegineta Iaton & Palladius uiolaceum dicit.Cord.Nequaquam,nam id de his, quæ propriæ ſic appellantur, uiolis conficiebatur. Ral. Violarum nomine nigras illas uiolas iam intelligimus,quę ueris initio iuxta muros & inter dumeta non ingrato etiam odore proueniunt.Cord. Verum eſt, at latius id olim patuit, ut etiam iaſminos & leucoia, quæ uos,ut prius iudicatum eſt, cheiri dicitis,comprehendat.Meg.Pandectæ autor capite ieſemin Galenū ex ſexto & ſeptimo ſimpliciū libris citat eorūdē, ut credo, iaſminorū cognitas uirtutes recenſentē. Cor.Quæ ex ſexto,repetit de nullis ſunt iaſminis, ſed ipſam ammeos hiſtoriā exprimunt : Quæ uero ex ſeptimo, nominatim leucoijs tribuit,quæ eadem iaſminos flores interpretatur.Gal.*Si* leucoia interpreteris albas uiolas dixeris, at cheiri croceo ſunt colore: Cor. Vno hoc nomine omnes uidelicet,lutęq, purpureæ,& albæ,ſpecies intelliguntur.Gal.A melioribus ac potioribus forte deſumpta eſt adpellatio: Cord. Præferuntur in hoc genere luteę:In hoc inquam genere,nam murarię illę & propriæ iam uiolæ dictæ alia familia eſt, cōtraria his tum qualitate tum facultate, ut errēt hi qui uno omnes faſciculo cōſtringunt et eaſ-

dem eis uirtutes adſcribunt authorẽ ſuũ Matheum Syluaticum imitantes, qui uno capite de leucoïs & nigris uiolis comprehenſim agit, licet aliud etiam caput de ïïſdẽ leucoïs ponat, ignorans hæc ipſa cheiri eſſe. Sed ſatis in his moratũ eſt, pergamus. Meg. Alter, uideo, uel Ariſtomachus uel Phyliſcus colẽdis apib⁹ delectaris. Cord. Placuit ſemel poſt tot caſſa uota bene inſtitutam aliquam rempublicam, & bonos mores uidere. Nig. Quaſi in nullis illa ciuitatibus ſed in ſolis iã aluearijs ſint. Gal. Pape ſunt iſtę apes? ſæpe de eis legi, ſed nunquã uidi. Ral. Id tibi credamus Gallæ? Gal. Sic eſt. Cord. Et ego dubito num ueræ hæ apes ſint. Meg. Quid audio? Cor. Nã quas gratas apib⁹ herbas legi eas potius hæ fugere uidẽtur, ut in hac prope cõſita dicta meliſſa iam aliqt annis obſeruaui, Nunquam enim uel unam huic apẽ inſidere uidi, cum tamen hæc eadem meliſſophyllo ſeu meliphyllo creditur, quã apes maxime appetere eaq; ſummæ delectari Nicander, Dioſcorides, Virgilius, Plinius, demũ omnes herbarij teſtantur, adeo ut, ſi ea aluearia cõfricentur perunganturue, detentũ in eis examen non fugiat, unde & facta herbæ nomina. Nig. Forte de florente herba intelligunt. Cord. Id certum, ſed & ipſos flores non ſectantur, qui ta

men rari & non ſimul exeunt, lutei cum adhuc niuent, dehinc ubi aperiuntur & hiant, albi. Meg. Non puto mutatam eſſe, quæ ubiq; ſibi ſimilis eſt, naturam. Cord. Aut igitur hæ non ueræ ſunt apes, aut hoc non uerum eſt meliſſo phillon. Ral. Non facile credo omnes in uniuerſum medicos noſtros falli, alias uidendum dicerem num hæc uera meliſſa ſit. Cord. Nullam hic lanuginem uideo, quam ei Nicander tribuit, modo ſit quam lanoſam ſeu hirſutam (Lonicerus tamen aſperam uertit) apium herbam nominat: Nec admodum ſimilem citriis odorem ſentio, à quo & citraginem uel citrariam appellant. Nig. Fœdus hic eſt potius quã gratus odor, forte igitur non de hac herba intelligendum eſt, dum meliſſophillon propter ſuauitatem ſuam in coronamenta quondam ueniſſe legimus. Cord. Aliud adhuc eſt, quod me ſuſpenſum tenet. Ral. Quid? Cord. Quod Nicander bis meliphyllon illud etiam marrubium appellari dicit. Gal. Recordor iam eorum quæ in eo authore ſuper hos locos dictaſti: Alterum ſcilicet eſſe oportere aut ut idem meliphyllo marrubium ſit, aut commune duabus herbis marrubij nomen. Niger. Forte igitur non male Palladius, ubi apum meminit, aliud à citragine meliſſophyllon intelle-

xisse uidetur? Cord. Nescio, communem omnium uiam, licet suspensis dubijsque pedibus, sequor, donec me alio monstrans Mercurius reuocarit. Meg: Hanc herbam nouisti Rallae? Ral. Noui, cardiacam appellamus. Cord. Eam ad aluearia plantaui: Non enim credi potest, quanto examine, quam sonoro murmure, circum hanc florentem densae apes susurrent. Et nisi incisa folia, quae melissophylli historiae non respondent, aliter persuaderent, id ipsum esse putarem. Ral. Si tu nihil in hoc decernis, ego minus possum. Cord. Agite quam hanc herbam esse credam? Ral. Illudis nobis, & more tuo iocaris, nam hyssopum te non noscere monstrum foret. Cord. Scio quidem ab omnibus, sic medicis appellari, uerum, est & hic quod me dubium facit, & suspẽdit. Ral. Legam ergo historiam eius apud Dioscoridem, ut, quod non congruit, indices. Duum, inquit, generum est hyssopus, montana altera, hortensis altera: Probatissima quae in Cilicia nascitur & cætera. Cum nulla eius hic picta fit, quid est quod te turbat? Cord. Verte folium & origani caput lege. Ral. Origanon ait, Heracleoticam sunt qui Heracleam, qui conilam, Romani cunilam dicunt & origanum. Folia habet hyssopi, non tamen

umbellam,hyſſopi modo rotæ figura,& in or bem circumactam,ſed multifidam & ueluti di uiſam.Cord.Satis,nihil hic uides,quod,ut hãc hyſſopum eſſe dubites, ſuadeat? Nig. Quam omnes fere medici origanum indicant longe alia quam hęc,folia habet.nullam item,huius quæ hyſſopo tribui uidetur, umbellam,ſed ſpi catum potius florẽ uideo.Cord.Hoc eſt quod & me dubitare facit. Gal. Audiui ex te nuper cum Nicandrum prælegeres, hyſſopum ſamſycho ſimilem herbam eſſe. Cord.Sic Nicandri ſcholiaſten & Serapionẽ eam indicare admonui,id quod dubitationem meam adeo nõ minuit,ut augeat potius. Siquidem ut Dioſcorides ait, ſamſychon tenuifoliæ nepetæ ſimilia circinataque folia habet,quæ figura creditæ & dictæ nunc ubiq; origano accedere uidetur. Siue ergo origano, ſiue ſamſycho cõparetur præſens hęc noſtra hyſſopus, magna eſt diſcrepatio, cum longa hæc & gracilia foliola habeat,ne quid tributam ei umbellam, & corymbaceam (ut in Chryſocome uidere eſt)comam,quarum neutram hic uidemus,imputẽ. Accedit & aliud, quod in diui Iohannis euangelio legitur Chriſtum in cruce potatum aceto,quod impoſita hyſſopo ſpõgia porrectum eſt, multo ergo longiorem & robuſtiorẽ eum

caulem esse oportuit, quã hæc herba, si ad hũc usum accommodus fuit. Nig. Est dignus uindice nodus. Meg. Duplicẽ esse hyssopũ audiuimus, quid si hæc altera sit? Cor. Id ut nescio sic nõ affirmo, sed quid tam diu taces Ralla. Ral. Frustra meditor quid tibi respondeam. Nõ leuiꝰ deijcienda stat Dioscoridis autoritas. Cor. Imo ueluti Marpesia cautis. Ral. Nec inuetera tam omnium medicorum opinionem temere deseruero. Cord. Ego quod sæpius dixi, cuiuis erutam ueritatẽ docenti inclinato semper animo quamlibentissime subscribam, atq; utinam tanta mea sit facultas ut patrocinari quoque possem. Meg. Dolet nunc mihi quod non maiorem noscẽdis simplicibus operam in Italia nauauerim, Cord. Solent & illic plærique medici harum rerum studiosos discipulos deridere, quasi nõ ad eos sed solos seplasiarios inquisitio et scrutatio illa ptineat, sed longe, meo iudicio, fallũtur. Cum enim tria sint circa quæ tota medicina uersatur & absoluitur, nempe corpus, morbus & medicamentum, cuncton; eorum æque necessaria est medico cognitio. Contra periculosa ægro ignorantia. Quis aliquem unquam morbum curauerit, (ut de medicamento tãtum hic dicam) cum instrumentum illud, quo ad hoc opus est ignoret? Ridi-

culus ille faber fuerit, qui domum ædificaturus pro bipenni seu securi perpendiculo, pro runcina gnomone, pro serra terebra, pro ascia celte utatur? Nouistis quales & quam non omnes tui similes Ralla seplasiarij sint, sed qd bona eorum pars non multum ultra analphabetos idiotas sapiat. Atq; his tantis afinis tam difficilem prouinciam commiserimus? Fœlicius olim cum medicina nostra actum est, ubi magni non tantum medici sed & reges hanc curam susceperunt, & ad scrutandas herbas per altos ac difficiles montes, per densas syluas, ac uepres repere non durum nec indecorum putarunt. Quos ego libenter imitarer si haberem huius non dico laboris sed uoluptatis doctiores aliquot comites, quibuscum super his rebus, ut aliquid discerem, conferrem & cõmentarer. Nunc solus hic sum, adeoque nemo hoc studium meum adiuuat, ut plæriq; sint qui derideant, seque non cornicum oculos configere uelle, sed per præceptorum suorum manus acceptis simplicibus contentos fore dicant. Quo nomine etiam non parum mihi apud simplicem & indoctam plebeculam nocent, cui inculcant poëtico me ingenio nouam quandam curandi rationem quærere, diuq; in maximo honore habitos medicos reijcere, qd

non sine magno ægrorum periculo fieri possit. Interim meam illi messem secant, ac belli congerrones in serotinis cõpotationibus praxim suam Cordinæ theoresi præferunt. Nig. Vbique boni medici suos Thessalos habent, tu nihilo secius labora ut testata illa tum eruditione tum experientia nos discipulos tuos iuues. Ral. Si ita in singulis alijs moremur quando exibimus? Cord. Quota est hora? Gal. Prima. Cord. Quinta cœnabimus. Meg. Eũdum est, si tempestiue redire uoluerimus. Cordus. Venite ergo, claude post te fores puer, ne uicini mei quid portent, quo postea caream. Hoc male me habet quod tam longum suburbium nobis permeandum sit, tam angusto lithostrato, ut non bini queamus, sed singuli ire cogamur. Tu tamen Megobacche propius accede, nam habeo quod tibi seorsim dicam. Megob. Dudum aures arrigo. Cordus. Solis etiam illis clam concredo arcana hæc mea. N. N. N. N. N. N. Intellexisti? MEGOBACCHVS. Optime, sed non optima Deum immortalem quanta hominum inuidia, quales item technæ ac uersutiæ. Puto te ad ferendas iniurias & aduersitates natum. Verumtamen hactenus cum cucullatis tantum triconibus, nullis cum doctis

huiuſmodi tibi res fuit. Imo ſemper illorum optimi quique propẽſo tibi animo fauerunt. Cord. Fauent, & adhuc ſpero uidebóque ut in poſterum quoque non inuideant. Quod ſi qui dam occulti cum complicibus ſuis lurconibus aduerſentur ſuſq; deque feram. Nolo tamen in hac ſimultate diutius uerſari, decreui enim non ita longo poſt tempore hinc alio concedere, ubi rebus meis forte melius q̃ hic conſultum erit. Nam poſtq̃ eo laboratum eſt, ut retinendæ domus meæ ſacra illa anchora reſecta ſit, non potui, ut manerem, animum inducere, quantumuis liberali ſtipẽdio mercam. Et bona quidẽ ſpes eſt, ut ſemper ſolitam, ſic & modo inuidiam me promoturam. Meg. Quo ergo demigraturus es? Cord. Bremenſi me ſenatui obſtrinxi. Meg. Dij bene uortant, ut tã propitios medicinæ, quam hic ſunt iniqui, homines ibi reperias, certe opulenta urbs eſt. Cord. Vtinam hinc profecto mihi ſuccedas, & aduerſariorum meorum ordinatæ chartæ turbẽtur. Me. Egóne dignꝰ uideor, qui tibi ſuccedã? Cord. Quid ni? cum alius hanc prouinciã ambiat, qui tam te refert, q̃ muſca cicadam. Imo iam dudum eam ſe nactum & mihi prælatum apud ſuos gloriatur. Fauerem eum huic ſcholæ, ſi tam doctus, quam ſe putat, & arrogans

elatusq; est, esset. Me. Forte idem ille est, de quo prius. Nig. Quam lutulentum & fœdum suburbium habetis. Cord. Non alia est, ubi porci uiuunt, mundicies. Ral. Grassata est & hic, ui deo, rusticorum furia, memini has saxeas imagines magno olim sumptu fieri, & huc poni. Ad quid nunc attinet huiusmodi opera & monumenta tam misere confringi? Cordus. Tali pietate egregij hic Christiani sumus. Megob. En uocatam uermicularem in hoc muro. Cord. Vt hoc illi nomen concedam, quam tamen frigiditatem medici nostri tribuunt nego, si gustui, quod Galenus præcipit, credi debet. Nig. Hei quàm acer sapor est. Cord. Atque is eam calidam arguit. Gal. Qui Germanice nominatur. Cord. Mauerpheffer. Gal. Hoc semel oratum te uolo, uenerande præceptor ut Germanicas illas herbarum nomẽclaturas, quoties occurrunt, interpreteris. Cord. Sonat hoc quasi murarium piper dixeris, facta hinc appellatione, quod longi piperis simile aliquatenus tum figuram tum etiam saporem habeat. Nig. Quid si aliam alij uermicularem intelligant? Cord. Nihil est quod cerce de hac herbula ex uetustis authoribus dicam. Ad uulgares uos herbarios remitto. Ral. Cum Francobergæ iam apud patrem essem

uidi in cautibus, quæ lacui ibidem incumbunt, item & in muris & macerijs nascentem non adeo absimilem plantam, nempe dodrantali altitudine absq; ullis foliijs, sed habentem interrim numerosa quasi tritici grana. Cord. Eam & ego diu antehac obseruaui, putóq; me noscere, & esse quam Dioscorides tragum appellat, Gustaui, & adstringẽtem eiꝰ uim sensi, quæ eam facultate prædità idẽ author indicat. Eius nomen à mulierculis inquisiui, quæ huneberh. i. gallinarias baccas adpellari responderunt. Meg. Hic quid censeas audiam, est hęc capillus Veneris? Ral. Dubitas? Qui tribus et amplius annis in tam docta harum rerum Italia fueris. Meg. Non absrequęro. Cord. Est quidem, sed ea species quæ trichomanes dicitur. Meg. Forte muraria rutha altera adianton. Cord. Id nescio, sœpe enim id, an hæc sit, experirer, tentaui, sed frustra. Meg. Quomodo? Cord. Irrigaui & aspersi eam aqua ut scilicet an sicca maneret nomenq; suum tueretur, uiderem, sed ęque ac aliæ herbæ humecta maduit. Hinc diu hæsitaui, nec eam pro adianto accipientibus assentire uolui. Quam meam dubitationem infirmam iam opinionẽ uertit Hubertus Barlandus in eo libello, quem contra quẽdam Louaniensem medicum scripsit, Aui

cenne ſui acrem aſſertorem, ubi ſaluiã Vitam, quam murariam eſſe rutham autumo, aliam ab adianto herbam conuincit. Ral. Cum ergo accipiendum forte adiantum ſit, quid accipiam? Cord. Hoc ipſum trichomanes, nã eaſdẽ uires habet, & ob id alterutro utrunq; nomine uocatur. Ral. Quæ uero polytrichon, & callitrichon herbæ ſunt? Cord. Eædem adianto. Ral. Cur tunc quidam medici omnia hæc nomina ſimul una eademq; receptula ſcribunt? Cor. Id ab illis nõ à me quære, ut q plane ignorẽ. Meg. Habeo quæ uolui, nã in Italia eandẽ ſuper hac herba cõtrouerſiã audiui. Nig. Iam cõ modũ in pẽtaphyllõ incidimus, de qua magna eſt inter medicos controuerſia, Tu nobis Cor de ſententiam tuam aperi, ſit ne uerum ea pen taphyllon? Cord. Effode & radicem contemplare. Nig. Feci. Cord. Ad hiſtoriam confer, & an rubeſcat aſpice. Nig. Nullum hic ruborem uideo. Cor. Id priusq; effoderes ſciebam, tametſi uero pẽtaphyllo tam ſimilis ſit, ut me ſæpe fefellerit. Ral. Nunquid quinqfolium intelligitis? Gal. Nihil aliud hæc græcis uox ſignificat. Ral. Tm̃ ego Græce quantũ ſturnus calleo, noui tamẽ quoſdam qui quinqfoliũ à pẽtaphyllo differre putarint. Cor. Auicẽnę ſui erro re forte ſeducti nõ uerum interim quinqfoliũ

norunt. Ral. Si hæc non eſt, ignoro & ipſe. Cord. Ignorans tamen eam nouiſti ſcio. Ral. Qui eandem rem ignorem & noſcam ſimul? Cord. Noſti ne tormentillã. Ral. Noui. Cord. Hæc eadem pentaphyllon ſeu quinq; foliũ eſt: Id quod ignoras. Ral. Hactenus certe. Nig. Hoc expectabã nam ſunt qui idẽ uelint multi. Cordus. Scio & inter eos eſt præceptor meus Manhardus, Gal. Comes quoq; ille, neſcio qui cognomen proferam. Cord. Neuenarum uis dicere? Gal. Recte, Manhardo ſubſcribit, quan quam eum remoratur Marcelli uerſio, quod ea quinq; foliꝝ florem in pallido candidum depingat, magis q; Ruellij interpretationem probat, quæ in luteo pallidum habet. Cord. Ego duos illos idem dicere puto, ſubdit enim Marcellus auri modo flaueſcentem, quibus omnibus utriuſque uerbis optime expreſſus flos ille uidetur, qui licet luteus ſit, plerunq; tamen in pallido candet, atq; id interiore ſui parte, ut ſæpe animaduerti. Aliud eſt quod me ſuſpendit, quod ſcilicet Dioſcorides menthæ, Theophraſtus uero uitigineũ ei folium tribuat, cum neutrum conueniat. Et niſi omnes uires quæ pentaphyllo adſcribuntur tormentillam dictam habere certo ſcirem uideremq; recẽs effoſſam eius radicẽ rubeſcere, poſt uero cum aſſuerit

nigreſſere, diuerſas omnino herbas decernerē. Mego. Oportet ut in alterutro autore uitium ſit. Cord. Si non in utroq; neutrum enim foliū tormentilla, neq; etiam hæc pentaphyllon putata refert. Pluribus huiuſmodi mendis oblitū eſſe Dioſcoridem reperitur, ut in erratico papauere uidere eſt, cuius foliū origano erucæue aut cichorio aut thymo ſimile dicit. Sideritidos item folia marrubij ſaluiæ & quercus figuræ comparat. Sic & ſatiuam cannabem malo, quæ omnia nullam inter ſe ſimilitudinem habēt. Meg. Theophraſtus quoq; eodem capite quo uitigineum pentaphylli hederaceum etiā adeoq; rotūdius rubię folium deſcribit, eamq; graminis modo humi ſerpere tradit, q̄d ego nuſquā uidi, imo indicatā à Dioſcoride hiſtoriam repreſentare, ut & hic mendum ſuſpicer. Nig. Legiſti procul dubio quem in hac quoq; pentaphyllo Plinij errorem Leonicenus tuus offenderit. Cord. Legi una cum his quæ cōtra eum Collinutius, ut Plinium ſuū tueretur, multa effudit. Ral. In quo igitur Pliniū erraſſe Leonicenus credidit? Cord. Quod pentaphyllon ille fraga gignere dixerit. Ral. Hoc neq; dicta tormētilla, neq; hactenꝰ nobis putata quinqfolium facit. Cord. Imo nec ipſa, quancunq; ille uēdicat pentaphyllū. Ral. Trifoliā ſemper

quinquefoliam uero herbam nunquam fraga proferre uidi, Gal. Dicit tamen Collinutius se Venetijs herbarium librum uidisse in quo admodũ affabre depicta fuerit quinq; folijs herba cum simillimo fragis fructu, saniculam Latine, Germanice uero sanyckel appellatã, Eam ueram ille pentaphyllũ existimat, meq; plane in opinionem suam traxit. Cordus. Misere sed frustra tamen se hoc toto capite torquet ut aliquid respondeat, Si in alijs similiter, tunc nihil egit. Aperi tu Brunfelsij tomos & eiusdem saniculæ egregie expressam icona conspice. In quinq; partes diuisa quidẽ folia habet, sed quæ in supremis coliculis coaceruata quasi capitula apparent, nulli fructus, sed herbacei coloris muscosi & à fragis plurimum differentes flores sunt, quos uiua herba melius quam quæuis pictura exhibet, ut forte aliquando uidebis. Magna enim eius copia non procul hinc in sylua ista nascitur. Meg. Quo nomine putas hãc saniculam apud Dioscoridem latere? Cord. Nescio an insit. Multæ enim huiusmodi, uulnerariæ præsertim & ex solidaginum genere, herbæ post illa tempora repertę sunt, quemadmodum & hæc quam hic cõmodum uidemus. Germanice kleyn beynvuel appellamus. Gal. Potes interpretari? Cord. Sonat quasi minus

ſymphyton dicas, non tamen eſt quod ſic Dioſcorides appellat. A cruribus formata eſt nobis nomẽclatura maioris ſymphyti, q̊d fracta illa conſolidet. Putaui aliquando hãc Beinbellã eſſe polycnemon Dioſcoridæ, propter multas ſcilicet, quas in ea uidetis, ſuras ſed nõ undiquaq; reſpõdet hiſtoriæ. Egregia eſt ad entero celas herba, cuius facultatis multa ipſi experimenta uidimus. Eiſdem uiribus laudat & alia quędã quã uulgares herbarij pfoliatã, Germani uero non multũ abludẽte noie durchvuahs appellãt. Gal. Illi⁹ duas effigies Brũfelſius exhibuit. Cor. Sed neutrã uerã. Naſcit q̊q; in fluminum ripis fruticoſa herba ſalicis folio unde & Germanice Vueiderich q̃ſi ſalicaria dicta, flore luteo, uulneraria cõſolidãteq; & ipſa ui, acerbo ſapore, quã lyſimachiã quã Leonicen⁹ corneolã uocat, putarẽ, ſi mordax & muſcas interficiẽs hinc fumus, dũ urit, exhalaretur. Imo & quę hic ſerpit & nouis ſemper radiculis propagatur, bini deinceps q̃ſi circinatis folijs, flore luteo, ſimilẽ cõglutinandi et cõſolidãdi uim obtinet. Ral. Chirurgi Vuilde poley .i. ſylueſtre pulegiũ uocant. Me. Ipſe ſapor qui hic acerbeſcit, poſſit, oſtẽdit. Gal. Ad pentaphyllõ redeo, qui cẽſes ergo accipiendã pro eo tormẽtillã. Cor. Cẽſeo, donec fragiferã illam Plinij inueneris.

Nig. Miror unde tantus uulgaris alioqui herbæ error irrepſerit. Cord. Non aliunde quam quod in pleriſq; Italiæ locis tormẽtilla iſta nõ quinq;,ut hic,ſed ſeptem foliis naſcatur. Facilis igitur inclinatio fuit ab illa,ad hanc,quam hic effodimus,ſemper quinque foliis conſpicuam, adeoq; fere eandem,ut me, quod dixi, ſæpe fefellerit non effoſſa. Nig. A quinq;folio ad trifolium, quod hic uiret, diſputationẽ noſtram conuertamus. Ral. Quid in uulgari & omnib⁹ nota herba moremur? Nig. Scio quid quęram Cord. Quid ſi uerum trifoliũ ignorare te conuincã? Ral. Id quod hic calcam⁹? Cord. Quod Dioſcorides alijq; medici intelligũt. Multa & ego uulgaris & pratenſis illius trifolij genera noui,ſed ualde dubito an eorum aliquod medicinam faciat. Ral. Vtimur tamen illo omnes quos ego noui,ſeplaſiarij,& in uulgaribus iſtis herbarijs mira id poteſtate præditum laudat. Cord. Quam recte & digne, et an aliquam eius uim experti ſint,uiderint ipſi,non eſt de q̃ anti- qui ſcripſerunt, tantasq; ei facultates tribuunt. Ral. Qui hoc ſcis. Cord. Quia ueri trifolij hiſtoriæ non reſpondet. Id hirſuta & acuta folia, ut alia multa taceam, habet, & nondum excretã rutam,mox ut ad conſiſtentiã peruenerit,bitumen olet. Sic Nicãder,ſic Dioſcorides, ſic Scri

bonius, alijq; complures teſtantur. Aſpice & olfac, ſunt talia hęc folia, ſentis aliquem fatu dignum odorem? Ral. Nullum niſi aliquatenus ſubdulcem, qualis neq; rutę neq; bituminis eſt. Cord. Non etiam ita temere nec ubiq; naſcit. Scribonius enim in nullis Italiæ regionibus, niſi in Lunæ portu, cum Britanniã peteret, trifolium illud ſe uidiſſe dicit, cũ hoc ubiq; ſcateat. Sed aliud eius nomẽ dicã an eo forte noueris. Cum tibi doctores tui herbam flauram accipiendam ſcribunt, quid accipis? Ral. Id an unquã factum ſit, neſcio, quod ſi fiat ingenue inſcitiam meam fatebor. Cord. At eadem herba flaura, quam & plantam leonis appellatis, trifolium illud eſt. Ral. Ergo & andachucha? Cord. Andachucha quidẽ trifolium, ſed non illud, uerę quæ lotus Dioſcoridi eſt, dicit. Nig. Hæc dudum expectaui & libenter audiui, quo enim uolebam recta tendiſti. Ral. Sed an recta in hortum tuum, quẽ petere deſtinauimus, tendam? neſcio, putabam eũ ſub Glaſcoppo ſitũ, nunc nos ad crucem & gabalum ducis. Cord. Hactenus non aberrauimus, ad dextram tamen per uuias has ſepes declinemus. Nig. Magnus eſt, uideo, heſſiaticarum uuarę prouẽtus. Cord. Vt inutilium omniũ reę ſolet. Ral. Nõ inutilia prunella iſta ſunt, quantũuis auſtera,

nam acatiam hinc noſtram facimus. Cord. Beneueſtram dicis, quia ueram non poteſtis. Ral. Nonne hęc acatiæ arbor eſt? Cord. Minime dices ſi Dioſcoridi credideris acatiam deſcribenti Aegyptiam ſpinam & cãdidum eius, ceu lupinos, ſemen in ſiliquis incluſum, ex quo ſuccus ille eodẽ noĩe appellatus exprimatur: Vbi tale hic ſemen? ubi claudẽtes id ſiliquas uides? Meg. Duo acatiæ genera legi, forte hoc alterũ eſt. Cord. Nequaq̃, nam & illud cõiunctis ſimul folliculis ſemẽ ſuũ trinũ, quadrinumue lenticula minus fert, nulla ad hunc fructum ſimilitudine: Et ut fortius perſuadeam hanc nõ eſſe acatiæ arborem, quæro an unquam ex ea deſcriptum à Dioſcoride triplex illud gummi fluere uideritis? Primum lumbricorum figura & uitrea tranſpicuitate pellucidum, optimum: Secundum candidum, minus bonum: Tertium reſinoſum & ſordidum, plane inutile: Quorum neſcio an primũ uel ſecundum, utinam non tertium Arabicum gummi ueſtrum eſt, ſi Serapioni credimus, qui illud acatiæ lachrymam eſſe dicit. Nig. Galenus & alĩ ueteres medici ſimpliciter commi (ſic eñ eis gũmi dicitur) nulla Arabici adiectiõe pronunciant nec arborem, unde colligitur, deſignant. Imo congelatam id concretaḿq; lachrymã, quam

arborum trunci producant, deſcribunt, an idē cum Arabico gummi, ignoro. Cord. optimū tamen gummi à Plinio ex Aegyptia ſpina, nimirum acatia, laudatur. Meg. Dioſcorides & alij Græci huic opplendi & obſtruendi tātum uim tribuūt, Arabes uero Arabicum ſuū gummi magno ambitu pluribus facultatibus prædituм eſſerunt, ut tragacanthā, ſi non ſuperet, certe æquet. Nig. Si uera eſt uulgi regula pluriмū uini futura nobis uindemia dabit, grauida eſt acinis ſambucus illa, Eadē em̄ eius & uinearum fertilitas eſſe credit. Ral. Iā rurſus ſuccurrit, q̄d cū id pri⁹ ubi de Leucoijs ageres, interrogare te uellē, propt̄ aliū incidentē ſermonē excidit, nēpe q̄d Hieronymus Brauſuicēſis Argētin⁹ herbarius, cui⁹ magnā ubiq; autoritatē celebrāt, hāc arborē, ſi eā ſic appellare licet, à Grēcis leucoia uocari, eiuſque tres ſpecies tradit. Verba ipſius ſunt in capite holder (ſic Germani ſambucū nominant) Gal. Scripſit Latine? Ral. Nō, ſed germanice. Gal. Latine ergo refert Ral. Sambucus, inquit, frutex non herba eſt, à Grēcis Leucoia dicta, cuius tres ſunt ſpecies, ſā bucus. ſ. ebulus, et ſambucus rubeus (nō mirē eum in grammatica peccaſſe, cum plane analphabetus idiota fuerit) quamuis aliqui doctores de agreſti ſeu ſylueſtri ſambuco ſcribāt.

Cord. Scio quid rudi literarum homini impo
fuerit, Legit ſambacum Arabum, nempe ieſe-
minum, trium eſſe ſpecierum, album, luteum,
& rubeum, & quia ~~louiera~~ totidem tum ſpecie
bus tum coloribus indicantur, putauit ſambu
cum ſambacum, nominis ſcilicet uicinitate de
ceptus, & ſambacū idē leucoijs. Contingit ma
gnos medicos ſimiliter errare, qui pro ſamba
cino, id eſt iaſmino oleo, ſambucinū ſcribant,
& intelligant. Vtinā idem Hieronymus æqua
lem habuiſſet tanto harum rerꝝ ſtudio erudi-
tionē, præſtitiſſet forte quod quidā ei tribuūt,
Nunc quod cæcus cæcos ſecutus eſt, una cū eis
in foueam errorꝝ cecidit, quorꝝ catalogum hic
recenſere ut nō libet, ſic etiā non uacat. Id ideo
loquor, non ut bono uiro detrahā, ſed ut lecto
res, qui toti ab eo pendent, admoneam. Omni
bus eñ qui tali conatures medicas iuuare ſtu-
dent, impenſiſſimo animo faueo, ſic tamē, ut,
ſi illi errent, magis ueritati. Similes ego uices
mihi reddi cupio, ſi in aliquib⁹, ut humanū eſt,
hallucinor, humaniter & ueritatis amore re-
prehendi non refugio. Sed de his ſatis. Nouiſti
Niger hunc fruticē? Nig. Vbi tu dixeris. Cor.
At in Virgiliano Bucolico diſcipulos hūc me
os docuiſti. Nig. Qui quod ignoras alios do-
ceas? Cor. Hoc tamē pleriq; literatores ſolēt.

Liguſtrum eſt, Meg. Similia oleæ folia habet. Nig. Longe aliam eius idæam cõcepi, nempe quam præceptores mei indiderunt, Viticularis ac circumuoluentis ſe in ſepibus herbę, referẽtibus fere lilia floribus. Cord. Hæc quædã helxines eſt ſpecies, quam Græci ciſſampelon, Latini conuoluulum uocant. Meg. Sic ex Leoniceno & alijs didici. Ral. Reſpondet hoc liguſtrum lectæ hiſtoriæ uideo. Cord. Redolentes flores tempore ſuo fert, ex quibus olim non in elegans & utile medicinæ ungentum fieri conſueuit, cyprinum dictum, Cypros enim Græcis liguſtrũ eſt, Arabibus uero tuis alcanna. Nig. Cur hodie non fit? Cord. Cur ignorant? Ral. Hanc arborem audiui, cum adhuc hic agerem Germanice Rein vueyden & mundtholtz, id eſt Renanam ſalicem, &, ſed non poſſum latine dicere. Cord. Stomaticum lignũ, forte quod oris aphthas, quas Arabes alcola uocant, curet, Sunt etiam qui hardtriglen Germanice appellent, non recte tamen, ſi, quod HIEronymus dicit, hardtrigle alni folia habet. MEGOBACCHVS. Venit in mentem cuiuſdam apud Columellam uerſus, quo in hortulo ſuo contra Virgilium nigrum liguſtrum dixerit. CORDVS. Virgilius ad flores, Columella forte ad maturas eius baccas reſpexit. Niſi

quis ibidem liguſtrũ pro purpurea e leucoïs uiola interpretari malit,nam huiuſmodi uiolæ quondam à Romanis etiam liguſtriæ dici ſolebant. Nihil tamen certi habeo. NIGER. Quæ alba Virgilij liguſtra ſunt noui, utinam & nigra eiuſdem uacinia noſſem. Ralla. Syluestres illi mirtilli ſunt, quos Germanice heydel beehr appellamus. CORDVS. Vanum hoc Iudimagiſtrorum commentum eſt,ſi ſcire uoles hyacinthi caput apud Dioſcoridem & quæ illic Virgilius Marcellus ſcholia addidit, lege, & longe aliam eius hiſtoriam, quam poëtæ fabulantur,comperies. Niger. Non ergo regum nominib⁹ inſcriptus ut Ouidius canit,flos eſt. Cord. Si id credendum cenſes,crede etiã quod is ex tranſformato puero factus ſit. RALLA. Hos berberes ſeplaſiarius tuus non colligit. CORDVS. Dum rancidos ueteres habet,nõ opus eſſe putat. Ralla. Vellem me eos Lypſiæ habere. MEGOBACchus. Eſt ne hæc ſpina quam Dioſcorides oxyacantham appellat? COrdus. Eſt. MEgobacchus In Italia criſpinam quandam neſcio an hanc dici audiui, quaſi acrem, id eſt acutam ſpinam,id quod & Græco uocabulo reſpondet. CORDVS. Ego tamen id non ut acuta ſed acida ſpina ſit, intelligendum puto, utrunque enim acre ſigni-

ficat: Nam absurdum uideretur ab acuto aculeo, qui omnibus spinis est, hanc proprie dici. NIGER. Placet mihi opinio tua, etenim perquàm acidus foliorum est sapor. Cordus. Porro quam Itali crispinam uuam appellant diuersum ab hac genus Barbarus separat, imo & alium fruticem æque spinis horridum & topiarium pusillæque uitis folio ac rubẽtis uuæ fertilem, nec in Italia modo, sed in Germania quoque illi uisum indicat, Quisnam hic apud nos frutex sit scire cupio, quemadmodum & hanc spinam quonam ab authoribus nomine uocetur. MEgobacchus. Quam intelligis? CORDVS. Hanc candidis aculeatisque ramis lapidosis item ac in maturitate rubentibus mitique carne esculentis baccis forti admodum ac duro ligno. GALLus. Ego cornum esse puto. CORDVS. Cornus longe maior ac speciosior arbor esse dicitur, cuius fructus oliuam æquat, cum hic ne dimidiam eius quantitatem. NIGER. Visam mihi Viennę cornum existimo, esseq; eam cuius fructus dirlas appellant. GALLus. Quod huius ergo spinæ Germanicum nomẽ est? CORDVS. Nos hagendorn appellamus, quemadmodũ & hac proximã curuatis & tenacibus aculeis rosarum spinas simili fa-

cie repreſentantem & eandem fere, niſi quod agreſtis eſt & non tã multifolias, imo quinq; folias tantum roſas fert. Ral. Nos ſpinam albam dicimus. Cord. Sed magno errore, cum ea longe alia ſit planta, hæc uero illa quæ Græce cynosbatos, & Latine caninus rubus ſeu ut Theodorus uertit, canirubus nominatur. Gal. Eadem igitur cynorhodo. Cord. Id non perinde affirmare auſim, nã alia ab hac cynorhodos uidetur. Meg. Imo plures ac diuerſas plantas uno hoc cynosbati nomine ſignificari, & ea quę Theophraſtus ſcribit, perpendant. Is foliũ cynosbati humano ueſtigio, ſi recte memini, ſimile dicit. Cor. Columella amerinę ſalici. Nig. Plinius quoq; nigram uuam deſcribit, in cuius acino neruus ſit, unde neruus paſſus dicatur. Cord. Idem hanc noſtrã hagendornam cynosbati nomine graphice depingit & harũ, quas in ea uidetis, ſpongiarum meminit, easq; egregiam contra calculum medicinã laudat, cui ipſam etiam experientiam non uno exemplo ſubſcribere ſcio. Nõ ſemel eñ uidi his ipſis ſpongiolis in puluerem leuigatis fortiſſimas urinæ anguſtias ſolui, quin repertos in eiſdem uermiculos maius ad has præſidium eſſe quidam affirmant. RALLA. Ipſos quoque fructus eadem facultate ualere audio. Niger. Iam

subit in Cº rolario Barbari me legisse cynorho don à cynosbato non roseo flore, quem uterq; fert, sed spongiolis distingui, quas cynorhodos habet, cynosbatos non habet. Cord. At eas in hac spina uidetis, cynosbato certe, quod etiam nomẽ huic, quæ uere batus, id est rubus est, spinę cõmunicatur. Megobacch. Vidi & ol feci in Italia nõ absimiles his q̃s hęc fert, rosas, longe tamen meliore odore, uergenteque aliquantulum ad luteum, colore, atque in ipso autumno, nescio an hac uel simili ne spina decerptas. Cord. Non omnes res ubique similiter & eædem proueniunt. Duarum hanc specierum esse constat, est enim & minor, suauiter redolens rubescente rosa, quę eadem suas etiam spongiolas fert. RALLA. Noui qui easdem spongiolas pro Bedeguardt accipiãt. Cordus. Hoc tam recte faciunt quàm eandem spinam, albam spinam existimant, sic error errorem parit. GALLVS. Nulla in hac terra aspalathos nascitur? Nam & hæc forte similis est spinæ. Cord. Calidarum regionũ hic fruitex est, ex Syria ex Rhodo petendus. Ral. Hinc ego non feram. Cord. Sed unde ferunt, q̃ apud uos ueram theriacam componere se iactant. Nam hanc aspalathos ingreditur, estq; quam darsisahan appellãt sed iuxta quoq; ignorant.

RALLA. Quẽadmodum alia, quibus carent, sic & hanc in eam miscent: Nam quantum ex tuo de pseudotheriaca libello didici, nusquam hodie uera theriaca fit. Cord. Id ego non solus sed doctiores, quàm ego unquam futurus sum plures alij dicũt, & ante me admonuerunt, ut non istam in unum me inuidiam reijcias. Ral. Certe non bene à circumforaneis illis agyrthis in proximis nundinis Francofordi audiuisti. CORDVS. Sic illi uicissim à me. Nihil impostorum & nebulonum maledicta facio, ut à bonis bene audiam conabor. Mego. Iohãnes Manhardus, aspalathon sandalorum speciebus adnumerare uidetur. Cord. At frigidum est sandalum, calida uero aspalathos. GALLVS. Quæ ista arbor latis aculeatisq; foliis, forte paliurus? Cord. Eam esse literatores quidam uolunt, & crederem ipse, quantum ad eius apud Dioscoridem historiam, attinet, sed cum Theophrastus paliurum semen suum in siliquis habere dicat, ab hac opinione resilio. Nam hæc spina nudas & non trinas quadrinasq; sed plurimas baccas inter ramos suos p fert. Neque etiam adigi possum & Gerhardo Nouiomago subscribam, qui holsam (sic eñ Germanice hanc spinam appellamus) taxum arborem esse publice discipulos suos docuit,

taḿq; in hac noſtra terra minime uenenoſam admonuit: Cum tamen à Nicandro & Dioſcoride taxus magnitudine & folior; figura abieti æqualis ſimilisq; deſcribatur. Mego. Vulgaris notaque omnibus in Italia taxus eſt, an apud nos unquam uiderim neſcio. Niger. Non in ſyluis tantum ut Virgilius ait: *Sed etiam in hoc horto pulcherrima fraxinus eſt.* Ral. Ne obliuiſcar aſcendam continuo & fructus decerpam, ut his pharmacopolium inſtruam, iamdudum nullos habeo. Cordus. Quid agis? mane, puer me⁹ ſatis colliget. Ral. Vellē & corticis eiꝰ aliq̄t me pondo habere, Nācrebro mihi adſtringētibus ac cōſolidantibus medicinis miſcēd⁹ is ſcribit. Cor. *Sed neutrā hanc imo ab* ſterſoriā ei facultatē ab antiqs tribui uideo. R. Serapion nr̄, ut in pādectis capite Dirdan uidere eſt, utranq; hanc ipſi certe arbori adſcribit, quin & corticis decocto pituitam expelli docet. Mirum etiam idem extenuando ſpleni prę ſidium eſt, teſte, qui ibidem citatur Galeno. Cordus. Non eſt is, quē citat Galeni liber, imo nec caput illud de fraxino eſt. Ral. Hoc tñ eius initiū legi Dirdan græce, Arabice luzach, Latine ỳo fraxin⁹. Cor. Hallucinat̄ more ſuo. Melian Græci non dirdam fraxinū dicunt. Quod ſi quis idem caput ptelęæ, id eſt, ulmi hiſtoriæ

apud Dioſcoridē conferat, eandē ei ὀξυάκανθαν ut Serapion habet didar, cōperiet. Neſcio etiā quam recte fraxini ligno pellendi uenenū uis detur, cum pota eius ramenta læta lia ſint. Meg. Folia certe, foliorūq; ſuccus, illa illita, hic potus uiperarum morſibus ſubuenire creduntur. Cord. Teſte Dioſcoride. Nig. Arbuta ac ſorba quoq; me noſcere uelim. Cord. Neutrā hic arborem uidiſſe me puto. Ral. Nonne ſorba ſunt quæ agreſtia mala? Cord. Longe aliud eorum genus in Italia uidi, ut quod ibi, quē admodum hic matura ac mollia meſpila, edit. Meg. Verum eſt. Arbutum uero unedonē appellāt. Gal. Non uere, nam hoc nomen epimelidi Galenus tribuit, cuius, neſcio, an Dioſcorides, mētionem fecerit. Cord. Fecit, ſed inter meſpila retulit, & quia fere ſimilia poma, ſimiles uires habent, nōnihil ſi eodem etiā nomine appellētur. Hoc ex te Megobacche ſcire cupio, an usq; in Italia arborē, quam nos hic tiliā noīamus, uideris? Meg. Quatenus ego peragraui, quod ſciam, nuſquā. Cord. Sic & ego. Ral. Ergo nō eſt tilia ut audio, quæ nobis ſic dicitur? Cord. Diſſimillīa figura Dioſcorides eam depingit, nempe oleæ foliis, lētiſcino fere fructu quaſiq; racemoſo, & adſtringēte ui. Meg. Magis ergo iam monſtratū liguſtrū, q̄ noſtratē tiliā refert.

Cord. Ob id etiam ſæpe mecum hæſitaui, an hæc Dioſcoridis tilia frutex ille ſit, quem liguſtrum uobis indicaui, uerum tamen liguſtrum eſſe odori flores perſuaſerunt, qui neſcio an ſimiliter in tilia redoleãt. Ral. Ex ea, quam nos tiliam appellam⁹, arbore, iucundiſſimo certe odore ſunt, & egregiam medicinam humido frigidoq; cerebro faciunt, ſi elicita ex eis aqua propinetur. Cord. En hic hortum meum. Ni. Ingens rus uideo. Cord. Quatuor ferme ſunt iugera. Meg. Virgilij tui præcepto auſcultans, ordinibus indulſiſti. Cord. Non placent, quia non iucundum præbent aſpectum temere diſperſæ arbores. Nig. Quæ aduiuam hanc ſepẽ prima ſe offert, quo nomine uocatur. Cor. Diu et ipſe queſiui, nondum tamen ſcio, niſi q̃p uulgo eam hochmut id eſt ſuperbiam dicant. Me. Cum tali natura comparat⁹ homo ſis ut omnibus ſuperbis ſemper reſtiteris, qui fit ut ipſam nunc ſuperbiam foueas? Cord. Si eſſet quæ dicitur diu eruncata hinc faceſſeret. Ral. Omnium ferme colorum in Italia monachos eſſe audio, ad quem ergo eorum ordinem Me gobacche hanc ceruleo ſuo cucullo referendã cenſes? Meg. Tales etiam flores alterum aconitum, dicta hic vuolphs vuurtz id eſt luparia, habet, niſi quod illi in albo flaueſcant. Cor. In-

ter eius ſpecies & ego eam refero, nam & ſimi
li eſt folio. Ral. Magis tamen, minutiusq; id
inciſum eſt. Nig. Vbi cucullatam uiderem, ſta-
tim & malam eam ſuſpicabar. Gal. Eadē ma-
net, etiamſi cucullam abiecerit, modo quoſdā
apoſtatas imitetur. Cor. Adhuc mihi non cre
dis Ralla, hāc ueſtram agrimoniam uerū eſſe
eupatorium? Ral. Cū tot, qui hinc interim pro
dierunt, authores, tibi ſubſcribant, amplius re-
luctari nequeo: Sunt tamē uel apud nos, qui cō
ſtanter negant. At crederent fortaſſis, ſi aliā eis
agrimoniam indicaueris. Cor. Dioſcoridem
conſulant, & qualem ille depingit, inquirāt, nē
pe agreſti papaueri ſimilem, inciſis anemones
foliis, puniceis floribus, oblongo & in ſuperio
re ſui parte lato capitulo, quale in erratico pa-
uere, quod rhœada uocant, uidetur: Rotunda
radice, quæ diluti aqua croci colore, liquorem
ex ſe remittit, & acrem ſaporem habet. Quid
ſimile in hac herba, quod eam agrimoniā, (hc
enim Dioſcoridis argemonē nominat) putēt?
Nig. Duas ille argemonas deſcribit, quarū alte
ram à Romanis argemoniā ait nominari, for
te hanc ipſam. Cord. Sed & huic omnes prio-
ris uires tribuūt: Et neſcitur, quā legitimū alte
rius caput ſit in eo authore, & ſi fuerit, tamē eæ
dem eſt foliorū figura, quę huic non congruit.

Ral. Quod illud erraticum papauer est, cui hęc folia comparantur? Cord. Quod in triticea & hordeacea segete apud nos scatet, rubentibus floribus. Ral. Iã noui, nos klapperroſen. i. crepitacularias rosas dicimus, quod ludentes pueris harum folijs concauo pugno impositis, & altera palma incussa crepitum ædant. Cord. Vide quam exacte hęc eupatorij historiã exprimat, quam similia folia, quam similes caules, quã similes in his deinceps adnatæ & in terram nutantes lappulæ, quæ etiã prætereuntium uestibus adhærent. Quid est quod manifestæ fidei non credãt? Ral. Quam autem herbam esse putas, quã illi pro eupatorio accipiunt? Cor. Nõ omnes eandem accipere uideo. Sunt qui agrestem saluiam, qui nascentem in fluminum ripis alijsq; humidis locis herbam, longis, amarisq; folijs, paruis coaceruatis in summo floscullis in candido purpurascentibus, qui tãdem in tenues pappos abeunt, Saxones vuacerdoust. i. aquaticũ origanum appellant neq; eadẽ oĩbus agrestis saluia est, quidã enim latis & uerbasco similibus folijs conspicuã herbã sic uocãt. Quidam similiorem saluiæ aliã, nisi quod maiora & uiridiora folia habeat atq; hæc forte dicta Theophrasto spacelos est, nisi forte sit maior illa hortulanæ saluiæ species. Nig. Hæc mihi

pro terreſtri hedera indicata eſt. Ral. Chamę-
ciſſum nos dicimus. Nig. Sed idem ſignifican-
te Græco nomine. Cord. Gaudent Græcis &
Arabicis uocabulis medici noſtri. Nig. Quæ
tamen interim miſere corrumpunt. Cord. Pu
tatur quidem et ab omnibus iam herbarijs ter
reſtris hedera accipitur, ſed multa ſunt quę ăni
mum meum, ne eo inclinet, retrahunt. Primũ,
quod ueræ chamæciſſi, & ſi ſimilia aliquate-
nus hederæ longiora tamen tenuioraq; &, ut
Virgilius Marcellus ait, faſtigiata ſunt folia,
quæ in hac herba rotundiora & in circuitu in-
ciſa uidentur. Secundum, quod flos neq; figura
neq; colore reſpondet, quî in Chamęciſſo albę
uiolæ ſimilis, ſeu ut alij uolunt, luteus eſt. Ter-
tium, ut parum de colore referat, quod is ſecũ
dum diuerſas regiones in eadem ſœpe herba
mutatur, tamen ſapor qui fallere non poteſt,
diſſidet. Is in Chamæciſſi flore egregiæ amari
tudinis eſt, huius autem herbæ tam dulcis uel
ſaltem adeo non ingratus, ut acetarijs miſcea-
tur. Gal. Veri igitur commentarij ſunt, quos
Brunfelſius citat, & chamæciſſum Aſclepia-
dem interpretari dicit. Cord. Neq; id affirmo,
nam ut aliæ notæ congruant, non tamen gra-
ue olentem nec roſæ ſimilem, qualem Aſclepi-
as, floreꝫ habet. Neſcioq; an unq̃ pelecini. i. ſecu

ridacæ ſemine ſimile ſemen proferat. Nec in montibus, ut illa, ſed decliuibus frequenter, & humidis locis, ut hic, iuxta ſepes & dumeta na ſcitur. Ral. Germanicum tamen nomen non adeo à terreſtri hedera abludit, quo grundt reben quaſi humi repentem uiticulam dixeris, appellatur. Corruptum tamẽ paulatim id eſt, ut iam grundelreben dicatur. Gal. *Sic* nullam hæc medicinam facit? Cord. Id ego non inficior, ſcio quidem omnes fere equites, quoties fibula dicta peſtis equum corripuerit, hac contra eandem herba efficaciter uti, & quis dubitet plures eam facultates habere? Gal. Phuch, quã *ingrato* & plane alliaceo odore huius herbæ contrita folia fœtent. Ral. Quam herbam oſtẽdis? Gal. Didodrantalem illam folio ſubrotundo niſi quod iuxta pediculum, ut in hædera introcedit, flore albo. Cord. Hanc eſſe puto, quam pandectarius rimam marinam, alliariam, & pedem aſininũ appellat. Meg. Vtinam ſcordium. i. paluſtris tixago ſit, quam cõtra ſerpentes adeoq; ipſam peſtem commendant. Cor. Valde dubito, nam rubeſcenti flore ſcordiõ depingit, qui hic albeſcit. Ral. Vt hinc apparet nõ eſt ſcordiõ, q̃d nos accipimus ſylueſtre alliũ. Cor. Syluestre alliũ noſtrates hic paſtores rampum appellant, cõqueruntur q; eius

paſtu tetrum lactis odorem fieri, tametſi ſunt qui eodem delectentur. Ral. Neq; hoc dico, ſed aliud medio inter allium & porrum odore. Cor. At hoc ſcorodopraſon eſt, niſi forte ampelopraſon. i. uineale porrũ intelligas. Sed has herbas uos noſſe & exacte diſtinguere poſſe deceret. Ral. Cur uos, qui domini & præcepto res noſtri eſtis, medici non docetis? Cord. Recte reſpondes, & merito, qui hanc nihil ad nos curam pertinere credimus, iſtud à te ſcomma referimus. Ral. In hac re uos ſoles noſtri eſtis, cõtra minora nos ſydera omne quod habem⁹ à uobis lumẽ accipimus. Cord. Si in Maio adfuiſſetis, eodẽ hoc uliginoſo loco minus chelidoniũ oſtendiſſem, plane ea, qua apud Dioſcoridem indicatur figura. Nig. Quo abijt? Cord. Statim incipienti ęſtate euaneſcit, hinc Germanice meykraut. i. herba Maij dicitur, quod tantum in eo mẽſe appareat. Ral. Hiſtoriã eius legã, an forte nouerim. Eadẽ eſt quã animo concepi, ſcatent ea omnes fere tunc horti. Et ſi recte recordor Hieronymus eam feickvuartzen kraut id eſt hemorrhoidum herbã appellat. Cord. Saxones uero ſchorbocks kraut, q̃d forte morbo, quem illi ſchorbock nominant, medeatur. Meg. Quod hoc uocabuli monſtrũ eſt? Cord. Niſi ad ſtomacaccen referat, neſcio. Nã

dentes eo malo excidere & totũ os affici dicũt. Ral, Alia hiſtoria Serapion meniten. i. chelidonium minus depingit, nẽpe altis & gracilibus ramis, cum hæc ſine caule ſit herba. Cord. Nõ hoc authoris ſed interpretis forte eſt uitium. Nig. Ariſtolochia quoq; rotũda quã hic holvuurtz. i. concauã radicem uocãt nõ diu appa ret, nunq; enim in æſtate eam uidi. Ral. De hac herba magnã Corde controuerſiam mouiſti, in eo, quem de pſeudotheriaca ſcripſiſti, libello, ubi te uehementer de ea, an uera ariſtolochia rotunda ſit, dubitare dicis. Cord. In eadẽ opinione hæreo omnesq; appello, qui uocatã hanc ariſtolochiam rotundam ad hiſtoriam, qua uera ariſtolochia rotunda deſcribitur, contulerunt, an abſque ratione ſuſpicer. Ral. Eius hic caput habeo. Cordus. Lege itaque. Ral. Duo ſunt eius genera rotundum quod fœminam uocant, haberque hederæ folia, cum acrimonia odorata modice rotunda, tenera, pluribus ab una radice erumpentibus germinibus. Viticulæ illi longæ ſunt, flores candidi, pileolis ſimiles, in quibus quod rubet graui odore ſentitur & cætera. CORDVS. Nunc aperi Galle tomos Brunfelſij & dictæ ariſtolochiæ rotundæ, quoniam uiuam imaginem uidere nequimus, graphice ex-

preſſam icona monſtra. Nũ hæc figura auditę iam hiſtoriæ reſpondet? Rutæ potius quam hederæ ſimilia hæc folia ſunt. Meg. Radix tamen in globum, ut dehinc hiſtoria habet, rapi modo rotunda tur, & forte in deſcribendis ſolijs per tot ſecula commiſſus eſt error. Cord. Vt id non credam author eſt Nicander, qui & ipſe hederaceis eã folijs in carmine, cuius metrica menſura comprehenſę uoces non tam facile deprauari poſſunt, depingit, & grauis illius odoris, qui ex ipſis floribus exhalat, meminit, quem ego tamen nunq̃ in his percepi, quẽadmodum nec odorata folia, nec illam, quæ eis tribuitur, acrimoniam. Quin ipſe Dioſcorides alibi ſoldanellam hederaceis adeoq; ariſtolochiæ rotundæ ſolijs indicat, licet, quod eadem longiſſima ibidem, tenuiſſimaq; dicantur, nonnihil mirari me faciat. Meg. Vbi meminit Dioſcorides ſoldanellæ? Cord. In capite de braſſica, eſt enim marina braſſica, ſi Leoniceno credimus. Ral. Nõ diu ſciui braſſicam hoc olus eſſe quod caules hodie dicimus. Putabam enim caputium ſic appellari. Cord. Atq; id inter eius genera numeratur, eſtq; (ut mea fert opinio) quod Cumanum & ſeſſile Plinius dicit, quod folio et capite panulum conſpiciat. Nig. Ariſtolochiã noſtram repetamus, de lõ-

ga nihil eſt quod dubites eandem eſſe quam omnes iam medici ſic uocant? Cord. Si purpureos in ea flores, & eos quoque grauiſſime odoratos, ſi in his dehiſcentibus ſimilem pyro fructu, unde melocarpos dicitur, oſtenderint. Meg. Forte ergo hęc tertia ſpecies eſt quę clematitis. i. ſarmentaria cognominatur. Cord. Similia minori ſedo folia hic quoque non reſpondent. Ral. Nullam uideo, nobis ariſtolochiam relinquis? Cord. Nullam ſurripio tantum admoneo, ut intentiore eas diligentia cõtemplemur, uideamusq; ne erremus. Meg. Vnum miror, quod, cum omnium ariſtolochiarum contra medicamentorum noxas ac uenenatos morſus debiliſſimum antidotũ ſarmentaria illa præbeat, præ cæteris tamen una theriacæ miſceatur. Ral. Ingreditur & rotunda. Cord. Recte Megobacchus dicit, una, debet enim ariſtolochia clematitis pro una herba, adeoq; tertia illa ſpecie ibi intelligi, quam dum quidã in duas ſeparant, non mirum ſi auctior ſimplicium numer⁹ reſultet. Ral. Id memoriæ mãdabo. Gal. Plurimũ hyperici hic naſcitur. Cor. Verã tamẽ hypericum uidere mihi nunq; licuit. Ral. At nos eam ſic appellamus. Cord. Et Dioſcorides hypericum cognominat, cum primum ac legitimũ ei nomen ſit aſcyro. Ral.

Perforatam etiam à trãſpunctis ſcilicet foliis, ac fugam dęmonis, quod dęmones fugare credat̃, appellant. Nig. Meticuloſi puſillanimeſq; admodum ſint dæmones illi oportet, qui tantillam herbã fugiãt ac formident. Gal. Germanice aũt qui uocatur: Cord. Harthau. i. durum fœnum, & Runrath quaſi Græce thraſibula in quibuſdã etiã locis unſerfrauen bedtſtro. i. dominæ noſtrę ſtramen. Nig. Audiui eandem & androſemõ dici, à ſanguinolẽto ſcilicet ſucco, quo cõtrita folia digitos inficiunt. Gal. Illud, per oc̃s muſas, faciunt. Aſpice ut rubeãt. Cor. Eſt tamen hoc nomine proprie inſignita alia herba, ob eandẽ cauſſam, ſtatim poſt uerã hypericon & hãc aſcyrõ à Dioſcoride deſcripta, ut uiribus duabus prioribus nõ abſimilis, ſit cõmuni earundem appellatione etiã hypericum dicta. Meg. Nolim diras ac imprecationes illas, quibus procul dubio uxor tua hanc cuſcutam, ut lino ſuo, dominatam peſtem deuouit, in caput meum uertere. Ral. Iraſcantur & maledicant ei mulierculæ, quantumuis uelint, benę interim à medicis audit ob egregias multis ægritudinibus medendi uires. Nig. Miror tam utilem herbam tam diligenti harum rerum obſeruatori Dioſcoridi prętereritã. Cord. Si nõ plus ęquo audaculus cõiectator uobis uiderer,

quæ mea ſit opinio dicerem. Meg. Dic audacter libere ſunt coniecturæ. Cord. Puto eã androſaces apud authorẽ illum eſſe. Gal. Sed androſaces in maritimis Syriæ tantum naſcitur. Cord. Dicit tm̃: Ral. Non, ſed ſimpliciter, naſcitur. Cord. Quid prohibet ergo quo minus & in Germania naſcatur? Videte candidã. i. nõ adeo uirẽdem herbam quę ſine foliis tenues circos, & in his continentem ſemina folliculum habeat, guſtate item & attributam ei amaritiem deprehendetis. Ral. Paucis abſoluit paucas eius facultates Dioſcorides, nempe quod copioſam ducat urinam & ſubeuntibus cutem aquis proſit. CORDVS. Hinc aliæ, quas alij cuſcutæ attribuunt uires emanant, quæ enim urinam ducunt ipſum quoque, qui in hepate ac renibus hæret, humorem expediunt, obſtructaſque uenas aperiunt ac emundant. MEGOBACCHVS. Vnam habere naturam dicitur, quam tibi, ſi in ea ut in hominibus deteſtaris, nam placere ſcio, quod ſcilicet eam, cui adhæret, plantam referat, inuiſiſſimum enim eorum genus tibi conſtat, qui eodem nunc ore calidum nunc frigidum efflant. CORDVS. Et interim tamen integram in eo farinam continent, quam ~~autem~~ ut & ipſe, ſi commodum aulæ

me uelim diſcerem, quidam prudens habitus uir mihi fruſtra conſuluit, ex quo plane indocilem eius diſcipulum eſſe me ſentiam. Nig. Eadem ratione etiam odioſa uernilago fuerit quod & ipſa eius, cui inhæret, ſoli colorem induat, & hic nigra, illic uiridis, alibi crocea, appareat. Ral. Quam hoc nomine herbam intelligis? Nig. Quam uos cum Græcis chamæleonem dicitis. Cord. Sed in demonſtrando longe à Dioſcoride iuxta diſſidetis, pro albo (nam duplex eſt) ingentem illum carduum, quem mareien diſtel grandia & albis maculis uariata folia habentem, pro nigro uero nõ minorem, imo ſeſquialtera nonnunquam hominis ſtatura conſpicuum alium, quẽ viehdiſtel appellamus, indicantes, cum prior chamæleon nullum prorſus caulem, ſed echinatum tantum in medio caput habere dicatur. Alter caulem quidem ſed non ultra/dodrantali longitudine ſurgentem proferat. Ral. Quæ tunc, duo illi cardui, herbæ ſunt? Cord. Priorem nempe Marianum carduum, neſcio an Dioſcorides deſcripſerit, in nullius enim cardui pictura albæ iſtę maculę quas non prætermiſiſſet, legũtur. Alter puta pecuarius carduus niſi ſcolymus ſit (de quo tamen ualde dubito) una cũ tot alijs carduorũ generibus, quæ ubiq;

ſcatent, à me ignoratur. Noſtrates tamen mu-
lierculas imo & nonnullos medicaſtros colle-
cto eius ſemine contra pungentes laterũ dolo
res inteſtinorũq; ſtrophos uti uideo, quaſi acu
ta herba, acuto quoq; morbo medeaſ. Ral. Ex
eiſdẽ quoq; carduis eſſe puto quæ bedeguardt
& ſuchaha dicuntur? Cor. Hanc Aegiptiã ſeu
Arabicam ſpinã, illam albam ſpinã Dioſcori
des nominat, & præter hanc alia eſt alba ſpina
per compoſitionem leucacãtha dicta, cum pri
or acantha leuce duabus uocibus proferatur.
Nig. Ex hac igitur alba ſpina Ianalis uirga, de
qua Ouidius in Faſtis, ſumebatur ad arcendas
ſcilicet à foribus noxas prohibẽdaſq; ſtriges?
Cord. Rannum ibi poeta intelligit, quæ eadẽ
etiam leucacãtha Græcis uocatur, & neſcio an
eadem ſit, quã nos Germanice Stachdorn ap-
pellamus. Meg. Dum de aculeatis ſpinis fabu-
lamur, offert ſe commodum ſimilis herba, quã
Itali reſtam bouis, quod altis ſcilicet & duris
radicibus in agris aratrum remoretur, appel-
lant. Cord. Ob id elegantiore uocabulo remo
ra aratri diceretur, inueni tamẽ in ueteri quo-
dã herbario acutellã eã nõ male uocari. Quod
ſi nulla harum uox arrideat poſſumus eã cum
Græcis ononin ſeu ononida nominare. Nig.
Eſt hæc ononis? Diu eam noſcere optaui,

quod contra calculum laudetur, cui, quoniam obnoxium fore me uereor, aduersas ei, quascunque scire possum, herbas colligo. Cord. Ab eadem urinaria ui equites eam stalkraut, id est, urinalem uocant, potandumq; eius decoctum meiere nequeuntibus equis offerunt. Alia tamen est ab ea urinalis, quam prius linariam dixi, quamuis sint quidam herbarij, qui linariam & urinalem quasi duas herbas duobus capitibus magna incuria disiungãt. Meg. Habet ne hæc ononis aliud adhuc Germanicum nomen? Cord. Audio eam & hauhechel appellari. Gal. Si patitur, interpretationem ad de. Cord. Hau nobis fœnum, & hechel instrumentum illud sonat quo mulieres linum carminant, & à crassiore stuppa expurgant. Gal. Congruum rei uocabulum audio, horret enim crebris inter folia aculeis. Cord. Hæc quoque quæ Græce dipsacus, Latine labrum Veneris dicitur inter spinosas herbas refertur. Ral. Nos labrum Veneris marianum illum carduum, de quo iam dixisti, appellamus, & hanc Virgam pastoris maiorem, uel carduum fullonum. Cord. Ille quo fullones utuntur huic quidem congener est, ignotus tamen ut reor Dioscoridi fuit. Nusquam enim quod talem usum præbeat meminit, sed alijs cum duæ

bus herbis nēpe hippophai et hippophęſto tri buit. Credo in hoc hamatos cultura fieri aculeos & eiuſdem fere utrunque facultate ualere. Meg. Veriſimile eſt. Cor. Cum facta ſit aculeatarum mentio, cupio uiciſſim à uobis diſcere quiſnā terreſtris tribulus ſit, ſi uerum eſt quod Virg. Marcellus ex Theophraſto dicit, eā plā tam priuatim & alio naturæ ordine ſuos non in foliis & caule aculeos, ſed ipſo fructu. i. pericarpio ferre, quod ut in aquatico tribulo uerè eſſe uideo, (eius fructus aquaticas nuces uocamus) ſic in terreſtri indicari mihi uelim. Meg. Et qdā lappa minor, et Germanice bettlerſleu ſe dicta, quę oblongas et aculeatas fructuū thecas fert, quid ſi illa ſit? Cord. Hāc xanthiū potius crederē ſi maiores illi fructus eſſent. Debēt em̄ oliuas pilulæ iſtæ, iuxta hiſtoriā, ſuperare. Ral. Quid audio, ipſos etiā tribulos uulgarem agrorē peitē ignoramus? Nig. In meo tñ Theophraſto terreſtris tribuli ſpinoſa folia lego, ait enim: Duo eius genera, unus em̄ folio ciceris exit, alt' ſpinoſus foliatus conſtat, ambo terreni, atq; multifidi ſunt, ſeri⁹ germinat q ſpinoſus foliis eſt, & apud ſepta uillarē is ſolet erūpere. Cor. Vt aculeata cōcedā, ubi ciceris, ut Theophraſt⁹, uel portulacæ ut Dioſcorides ait, folia in noſtro putato tribulo ſunt? cui⁹ etiā ter-

restris unum tantum genus ab eodem Dioſco
ride ponitur. Meg. Reſeruabimus hanc quæ-
ſtionem in proximã aliquã quodlibeticam me
dicorum diſputationem. Cord. Imo te affinis
Ralla quæſo ſi. N. illũ qui me nullã herbarũ co
gnitionẽ habere tibi dixit, conueneris, eum ſup
hac re conſule, & quid decernat reſcribe. Nig.
Sunt qui & in hac uulgari herba dubitent, qui
buſdã aparinẽ, alijs alyſſon eſſe uolẽtibus. Ral.
Nos rubiã minorẽ uocamus. Gal. At Plinius
alyſſon rubiæ comparat, & eandem fere dicit,
niſi quod minoribus folijs et ramis ſit. Cor. Sic
alios quoq; herbarios dicere ſcio, cõtrariã ta-
men cõparationem Pliniana ẏba oſtendum,
quæ hæc ſunt. Diſtat, inquit, erithrodanus ab
eo quę alyſſon uocatur, folijs tantum & ramis
minoribus, hic Plinium minora rubiæ folia,
minores item ramos tribuere intelligo. Neq;
uideo quonam pacto hæc etiam figura depi-
cto apud Dioſcoridem alyſſo congruat, quã
circinata habere folia dicit. Niſi forte circi-
nata quaſi in circulum diſpoſita quis inter-
pretari uelit. Niger. Hoc Græca lectio forte
non patietur. CORDVS. Et ut de folijs
conſtet, in ipſis caulibus magna eſt diuerſitas,
qui multi ſunt aparines, alyſſi uero ſingula-
ris eſt. Alyſſon quidem hanc uelim, utpote

egregiũ illud cõtra rabidi canis morsum antidotum, sed magis mihi aparines historiã exprimere uidetur, maxime tenaci asperitate & similibus umbilico fructibus, unde & factum omphalocarpi nomen. Gal. Brunfelsius aparinen apud Italos grapellam uocari ait: si forte Megobacche hanc illic nomenclaturã audieris. Meg. Nõ animaduerti. Cord. Collinutius aliam quandam, ut credo, uidelicet lappariam herbam sic appellari scripsit, quæ fere mercurialis folia, & asperum retinax q̃ semẽ habeat, & à Plinio inter Parthenij genera numeretur. Modo mercurialem eam nõ intelligitis cuius Brunfelsiani tomi effigiem ostẽdunt, & nescio quem bonum Henricũ appellant, cum illa potius ea sit, quæ Germanice kuhevurtz, id est, uaccaria, uel ea (si me pictura fallit) quæ milmilden, id est, fimetaria atriplex dicitur. Ral. Mercurialem omnes alia figura nouimus, illius folia hæc non habet sed multo graciliora. Meg. Sit ergo ut & ego puto hęc aparine. Gal. Germanice qui eã uocatis? Cord. Klebkraut, est enim nobis cleben quod Latini tenaciter inhærere dicunt. Ralla. Est huic aparinæ similis alia quædam herba nulla tamen asperitate obsita quæ in muris & macerijs peculiariter nascitur. Cordus. Eam quidam aspergulam esse

putãt, quidã uerbo gallium. Mego. Sed gallium odoratos flores habet, & eam esse credo, quæ aparinæ quidẽ similis, sed multo minor ac humilior est, imo & copiosiorib⁹ caulib⁹ e terra exit. Cor. Tibi subscribo atq; eccã eam in proximo hoc cliuo. Gal. Germanicum eius nomẽ audire expeto. Cord. Nondum, q̊d sciã baptisata est. Nig. Hac ratione forte anabaptistę cuiusdã catechumena ꝑples fuerit. Cord. Tunc cõfestim eam [illegible], tã grata est mihi anabaptistarũ secta. Meg. Vtinã ad extremam usq; Thylẽ hoc hominum genus relegaret, ut pessima omniũ bonarũ artium adeo; q; sacrarũ literarũ pestis & pnicies. Cord. Adde & publicæ tranquillitatis seditiosi cõturbatores. Ego omnes huiusmodi sectarũ autores phanaticos adeo; q; atribilarios hoĩes credo q̃ nihil aliud inuentis suis placitis efficient, uereor, q̃ ut uera tandem religio amittat. Nig. Hãc quoq; non uerã millefoliũ esse quidã contendunt. Cord. Inter eos & me esse noueris, Nã cum tres herbæ sint huius nominis, prima Achillea, secũda stratiotes terrestris, tertia peculiariter millefolium dicta, hanc terrestrẽ stratiotẽ puto, an errorẽ iudicate ipsi postq̃ trium harũ historias cõtuleritis. Gal. Quia Germanica noĩa pugillaribus excipio, cupio & q̃ hãc ipsam nominetis

scire. Cord. Garbã audio dici, Saxões relicam uocant, utroq; non patiente interpretationem uocabulo. Sunt etiã qui sthaffsreibe, id est, ouinam costam appellent. Nig. Non adeo periculosus error fuerit, si & hæc pro uero millefolio accipiatur, nam eadem fere est omniũ harum trium, nempe uulneraria, uis. Cord. Herbarij uestri similem huic phili pendulã quandam indicant, hæc quænam sit, & an hic uspiam nascatur scire cuperem. Gal. Brunfelsius eam Discoridis oenanthen esse putat. Cord. At eam non stratiotis huius, sed pastinacæ foliis idẽ autor depingit. Nig. Licet hic Virgi. Marcelli, nescio incuriam ne an obliuionem dicam, admirari, qui de labruscæ flore, qui etiam œnanthe uocatur, agens nusquã se in Dioscoride de œnãthe herba, quam ex Aegineta citat, legisse dicit, cũ tamen eius caput in eodem autore interpretatus fuerit et adiectis quoq; scholijs dilucidarit. NIGER. Vtimini etiam ista in medicina herba? CORDVS. Vterentur multi si cognoscerent. Nig. Quæ est igitur. Cordus. Dioscoridis erigeron, quæ latine senetio interpretatur. RALLA. At erigeron carduus benedictus & senetio cresson ab herbarijs nostris dicitur. CORDVS. Male, lege senetionis historiam & hanc herbam graphice depingi uidebis.

En exigua folia erucæ modo in extremitatibus inciſa & longe quam erucæ ſunt, minora, cuius etiam lutei flores cito poſtq̃ enata eſt, deſciscunt,& in pappos abeunt. Nolui tamẽ huic tantum ſimilitudini credere quin colligẽtes eã anus nonnunq̃ interrogaui ad quem nam morbum ea uterentur? Quę ad reſtinguẽdas inflãmationes reſponderunt. Nũc ubi Dioſcorides ſenetioni refrigerandi uim tribuat ſimiliſque in hac figura appareat, quid prohibet ſenetionem credere? Ral. Medici tamen inter calidas herbas ſenetionem numerant. Cord. Alterũ ſcilicet ſyſymbriũ puta cardaminen, id eſt, naſturciariam, quam creſonem quoque dicunt, falſo intelligentes. Nig. Creſſonẽ lauer, adeoq; ſium eſſe quidam autumant. Cordus. Cognominatur quidem ſium, ſed uerũ ſium q̃d idem lauer, herba eſt quam Germanice pungen, & à natali loco vuaſſerpungen uel bachpungen uocamus, Saxones lemmicam, cui admodum ſimilis alia, ſed non odora, ut neſciã an hæc non odoratum lauer ſit, quod tamen nomen Leonicenus creſſoni etiam tribuit. Certe odorato ſio ſeu lauere chirurgi quidam ad uulnera & hulcera curanda utuntur, ut hinc etiam aquaticam anagallidem à Dioſcoride appellari putem: Verum [illegible] ad hanc ſenetionem reuer-

tamur Iohãnes Manhardus quoq; erigeronta nõ carduum benedictum sed aliã herbam esse testatur, quam, quod in muris nascitur, petrellam ab Italis uocari ait. Nascitur quidem & hæc in muris sed simillima quædã alia, maior tamen & ramosior frequentius, Illa uidelicet quam Brunfelsius pro altera uerbenaca exhibet, candidioribus quam hæc, & aliquãtulum lanuginosis foliis. Gal. Hanc senetionem Germanice mihi nomina. Cord. Kreutzvurtz, id est, cruciatã herbam à similibus scilicet foliis. Ral. Si recte uerba tua accipio non uera effigie apud Brunfelsium hanc uerbenacã monstrari suspicaris? Cord. Imo neutram, si quæq; ad historiam suam referatur. Ral. At herbarij nostri utramq; se noscere non dubitant. Cordus. Non enim tam lata & eo modo serrata prioris, id est, rectæ & benacę folia hic uideo, ut hinc gallinacea crista (sic enim uerbenaca etiam dicitur) appellari uel debeat uel possit. Nec memini an unq̃ in aquosis eam locis nasci, uel aliquã cũ colũbis (unde peristerionis nomẽ) amicitiã habere compererim. De dodrantali quã hæc ter superat, altitudine nihil dico, quod nõ eandem omnibus herbis ubiq; proceritatem esse sciam. In altera quæ pro supina & fœmina uerbenaca hic pingitur, hoc me suspendit,

quod luteos flores habere ſoleat, q ſupinæ uer benacæ purpureo colore apud Dioſcoridē indicantur, ut alias, quibus non reſpondet, notas præteream. Gal. Ipſe tamen Plinius, ut eū hic Brunfelſius citat, ſupinā uerbenacam luteis floribus deſcribit. Ral. Id audire cupio. Gal. Eſt, inqt ſimilis uerbaſco herba, q̄ ſępe fallit pro ea capta, foliis minus candidis, cauliculis plurib⁹, flore luteo. Cord. Male iungit hæc uerbenacę uerba, cum ſeorſim aliam alius herbæ nempe blattariç hiſtoriā conſtituant. Gal Recte, naim ſic eā Romæ uocari mox ſubdit. Niger. Aliam quandā herbā latis ſcabriſq; ac grauiter ſpirātibus foliis centrum galli, quo etiā nomine uerbenacam uocant, appellari nonnunquā audiui Cord. Verum, ſed magno interim errore. Mescarleam hodie dictā intelligit. Cord. Hanc ipſam, antiquis nimirū medicis, ut puto ignotam. Gal. Verbenacam putatam Germanice qui uocis? Cordus. Iſenkraut uel Iſernnhart. Quaſi ferrariam dicas. NIGER. Grecorum forte ſideritis fuerit? CORDVS. Sic uerbenacam ſupinam quidem à Dioſcoride cognominari legimus, alia tamen eſt uerbenaca proprie dicta ſideritis, ut Pandectarius errarit, pro eadem hanc intelligens. MEGO bacchus. Hæc quæ eſt eadem ne illi quam beinbellam

prius appellasti. Cordus. Non, sed tamen admodum similis, præterquã in floribꝰ, quos hic quasi in umbellam dispositos puniceo colore iucundum aspectum præbere cernitis, Saxões aurinam maiorem uocant. Ral. Ergo centaureum maius est, aurinam enim eadẽ gens centaureum nominat: A quo etiã Germanicum nomen quo in Hessia nostra appellat non multum abludit, uocant enim hic eam tausent gulden, quasi mille aureos quis dixerit & ad centaureum (quod quasi centũ aureos sonat) respexerit. Cord., Centaureum maius aliam habet historiam. Nig. Eam apud Dioscoridem legi sed ipsam herbam uidere cupio. Cordus. Ego quidem uidi Ferrariæ non tamen maioris centaurij sed Rha Pontici nomine indicatam. Eodem & uos eius radicem nouistis quã scilicet uagi agyrthæ nobis pro rhapontico uẽdunt. Etenim uerum hanc raponticum esse non facile persuadeor. RALLA. Ergo & uero nos rhapontico carere putas? Cord. Imo scio: Interim tamen Rha Barbarum, quo Arabes pro eo utuntur, habetis. Licet & hoc uel euanidum uel adulteratum adeoq; factitium plerunque asportetur, quæ iam mercatorum est auaritia & infidelitas. Ralla. Dñq; deq; omnes falsarios illos impostores perdant, ut

ſyncera tandem ſimplicia, quantumuis etiam cara, nanciſſi liceat, Nullis ego nummis, nulli certe ſumptui parcerem, modo humanę ſaluti conſuleretur. Cord. Chriſtiani hominis egregium animum audio, quem utinã nulla cupiditas paulatim, cum diteſcere cœperis, cõcutiat. Multis alioꝝ exemplis didici, quãta ſit in auaritiã ꝓcliuitas quãtus itẽ dehinc iuſtitiæ, ac æqtatis contemptus Ral. Curabo ne diteſcã ex qꝫ hæc opes uitia ſecum trahunt. Cordus. Taceo quod nihil auaris miſerius ſit, & magis impiũ minus miſericors. Meg. Scio quid aĩo iã concipias, dulcem nimiꝝ caricã. Cord. Imo acerbiſſimum arbutum. Ral. Sunt qui Rha Barbarũ idem cũ Rha Pontico eſſe, notumq; ueteribus etiã medicis fuiſſe putent, inter quos & Paulus Fezerus eſt, qui hanc opinionem publica diſputatione defendere promittit. Cord. Non adeo inficior, ſciẽs præceptorem meũ Leonicenum ſimiliter, ut apparet, opinari, cui tamen Iohãnes Manhardus, quaſi dubitet, imo diuerſas eſſe radices credat, in quadam epiſtola ſcribit. Et idem præceptor meus eſt, ut neſciã utri magis adhęreã. Meg. Reſpondit huic Leonicenus longis literis et reſponſurus eſt eidẽ rurſus Mãhardus, ut ex ipſo audiui, nõ breuioribꝰ, duoq; hi ſimul libelli aliquãdo prodibunt in publicũ,

nunc ex his quasi collisis pyritidibus emicantem ueritatem uidebimus. CORrd. Plures tales uiros super his rebus committi, & conueli tari cuperem. Nig. Magnam huic herbæ iniuriam facimus, quæ cũ multis nominibus celebretur, & uarias in se uirtutes habeat, eam tamen pedibus nostris calcamus. CORDVS. Id cum bonis ac doctis omnibus uiris commune iam patitur. Gal. Quam eam dicis? Cord. Polygonon siue polygonatum proserpinacã, sanguinalem & corrigiolam, alia alibi nomina uide. Gal. Cum Nicandrum prælegeres aliã polygonatum herbã dixisti, nempe eam quæ sigillũ Salomonis hodie uulgares herbarij uocant. Cord. Recte, sed quid obstat quo minus et huic nomen suum, ut plures aliæ quoq; herbæ solẽt, cõmunicet? Ral. Polygonatũ illud ut Dioscorides, seu sigillum Salomonis ut nos dicimus. Germanice vueisvort3, id est, alba radix nominatur. Cord. Sunt quidam errore caligine adeo cæci, ut eandem radicẽ pro albo ueratro accipiant. Meg. Si recte memini legi aliquãdo sigillum, Salomõis ne an Marię nescio, secacul esse. Cord. Apud Iacobum de Manlijs. Gallus. Sic et Brunfelsius quosdam uelle testatur. Ral. Eadem ergo eryngo polygonatũ, nam secacul

& eryngus imo & centum capita eædem herbarijs noſtris res ſunt. Cord. Non auſim credere, ſi uerum eſt quod Serapion, ut idẽ Iacobus citat, in ſeptimo de conditis capite ait ſecacul ſcilicet ſimilem zinziberi radicẽ eſſe & ex Indꝛa aſportari, & neſcio quid ex recenti ea fieri, Quę an de credito à me polygonato queant intelligi neſcio. Hoc autem conſtat quod idẽ autor de ſimplicium temperamentis capite, ſi bene memini lxxxix. ſecacul deſcribat, nullumq; Dioſcoridem citet, qd procul dubio more ſuo feciſſet ſi illud ex eo caput tranſſumpſiſſet. Nõ tamen admodum nec pertinaciter repugno. In eiuſdem capitis lemmate nõ bene eryngoꝝ fit mentio ſuſpicor. Quemadmodum & ubi aſtera atticum, id eſt, inguinalem, bubonium & alibium (omnia hæc idem nomina ſignificant) deſcribit. Poteſt forte & after atticus Græcorum & centum capita Arabibus dici, non tamen continuo illa eryngi ſpecies eſt. Quam quia eodem centum capitum nomine appellaretur, ſtatim ibidem, ut à priore diſcernat, diuerſa hiſtoria depingit. MEGOBACCHVS. Aliud à ſcecacul & centum capitibus, eryngij nomen apud Serapionem in cuiuſdam herbæ tranſſumpta ex Dioſcoride hiſtoria legiſſe me ſcio, ſed iam non

ſuccurrit. CORDVS. In montana nardo id obſeruaui, quam Dioſcorides ramulis foliiſque eryngio comparat. Vbi Serapion loco eryngij Darſahane habet, quod ut ſcitu dignum in codice meo ſignaſſe me recordor.

NIGER. Videntur quibuſdam eryngium & centum capita diuerſæ herbæ. CORDVS. Certe Plinius duo de his capita facit, & uarias eryngij ſpecies indicat: Imo & ipſam centum capita unam earum nempe albam eſſe affirmat. RALLA. Omnes quotquot ſe eryngium noſſe putant, carduum iſtum indicant, quem Germanice vuallen diſteln, id eſt, aggerum carduum uocamus: Eidem & centum capitum nomen admodum congruit, quod plurima ſcilicet capitula ſpinoſa & quaſi ſtellata gerat. CORDVS. Sed hæc nullum, quem ego obſeruaui, effatu dignum odorem habet, qui tamen à Dioſcoride & Plinio eryngij radici tribuitur: Imo & centum capita Plinius raram inuentu, tradíq; radicem eius alterutrius ſexus ſimilitudinem referre, dicit, quare ſæpe mecũ cogitaui an forte carduus panis, quẽ mulgo ebervurtz dicim⁹ aliqua eryngij ſpecies ſit. Niger. Hunc ego aliquando alterũ chamæleonem putaui. Cordus. Per lapideum Iouem in

eadem etiam opinione fui, sed hoc me reuocauit, quod cubitalem huius cardui caulem esse, qui eam effodiunt, dicant, quo albus chamæleon prorsus caret, quem tamen hunc esse oporteret cum alter qui caulem habet perimens uenenum fit: Nunc cardui panis uocati radice homines libenter uescuntur, & multis incommodis medentur, hac tamen infamis ea facultate male audit, quod uescentis quidem uires augere, sed iuxta uersantis auferre dicatur. RALLA. Si uocatus pacis seu panis carduus (utroque eum nomine nostrates seplasiarij uocant) quædam eryngij species est, & uerum id quod alterutrum sexum referat, tum quotqt ego huiusmodi radices uidi fœminæ erant quandam scilicet rimam ostendentes: Vtinam uiderim & masculas. CORdus. Certe, aliquid dicis, quod tamen ego affirmare non ausim, si uerum est quod quidam de eryngij radice tradunt, esse scilicet eam tantæ longitudinis ut raro integra & semper fere abrupta effodiatur. Id quod neque apud Dioscoridem, neque apud Plinium legisse me recordor. Relinquo igitur hęc doctioribus propius perspicienda. MEGOBACCHVS. Interea dum alio rapimur, huius polygonei

noſtri obliuiſcimur. CORDus. Nihil habeo quod ultra ea quæ ab alijs de ea traduntur, addam. Megobacchus. Fœminam ſanguinalem noſti? Nam duæ eius ſpecies ſunt. Cordus. Variant authores, quidam hanc marem, & alteram fœminam: Contra, hanc fœminam & alteram marem nominant, ſic tamen ut ſemper maiores huius uires celebrent. NIGER. Fuit cum hanc non polygonium ſed agroſtin putarim. CORDVS. Putarem & ego, niſi aliter, qui multi iam ſcribunt, herbarij perſuaderent: Quandoquidem omnes uocatam hanc Germanice Vuegegraſs uel vuegedryt Polygonium eſſe contendunt. Megobacchus. An alteram quod quæſiui, ſanguinalem noſcas nondum reſpondiſti. Cord. Non affirmo, ſuſpicionem tantum habeo, quã proferre non audim. Megobacchus. Quid obſtat? Cordus. Vereor ne me derideatis, neue, quaſi omnia ad lubitum turbare uelim, male audiam. Dicam tamen ſed hac proteſtatione quod leuiter ſuſpicer, non decernam. Nouiſtis omnes herbam puto quam hippurim id eſt, equinam caudam ſeu equiſetum eſſe credimus, Germanice daubenrock uel kannen kraut dictam. GALLVS. Neutram uo-

cem intelligo, Cordus. Prius nomen quasi co lumbinam colum significat, alterum à stanneis uasis, quod ea hac aspera herba mundentur, abstergunturque, factum est. RALLA. Quid si noscamus hanc, num alteram sanguinalem esse putas? CORD. Non omnino fœminæ tamen sanguinalis historiam putato equiseto illi fere congruere uideo. Ait em̃ Dioscorides eam singulari caule, exiguum & tenerum fruticem esse harũdini similem, continuatis geniculis, & in seipsos tubarum modo farctis, & circa illos similia piceæ foliola in orbẽ exire, herbam in aquosis locis nasci. RALla. Quæ equina cauda creditur in siccis etiã agris inter recens enatam auenam conspicitur. Cordus. Frequentius tamen & fœlicius, utpote maior & firmior, in aquosis, maxime quæ à nostris Schaffthau & lœcher dicitur, gratũ & salubre equis pabulum. Quanquam alteri equiseto hæc ipsa planta congruit. NIGER. Caulis concauitas harundinem urcunque refert & continuata genicula non multum abludunt, quæ plane in seipsa tubarum modo farciuntur. Ipsa quoque foliola piceæ similia circa eadem in orbem exeunt. Quantum etiam ad uires attinet, uideo ei eandem etiam facultatem nempe adstrictoriam tribui. RAL. Si

fœmina ſanguinalis maſculæ reſpondet, ne-ceſſe eſt Raſim noſtrum errare qui corrigiolã calidam eſſe & fluxum ciere dicit Cord. Multæ ſunt herbæ quæ uiticulis ſuis corrigiolæ uſum præbent, quis ſcit quam ille corrigiolã intelligat. Mego. Perge Niger. Niger. Non minus tamen & ſuæ equiſetum noſtrum hiſtoriæ, ſi legeris, conuenit. Cordus. Iamdudum legi, & eſt in ea quod me non parum dubitare facit. Niger. Id audire uelim. Cordus. Quod in altitudinẽ augeri herba & propinquas ſtirpes aſcendere & ex illis circumamplexa nigris equinamq; caudam referentibus comis pendere dicatur. Quam nos equinam caudam appellamus ſingularem caulẽ erigit, ſuaq; ipſius firmitate ſurſum nititur, nec uſquam inclinat, proximum aliquid aſcendit circumamplectiturue. Meg. Vrges quidem ſed non tam grauiter ut opinioni tuæ ſubſcribam. Ego quod equiſetum dicimus uerum etiam equiſetum puto atque hoc argumento cum nuper in Italia forte deambularem reperi primum equiſeti rudimentum diuque quænam planta eſſet dubitaui, tandẽ poſt aliquot dies admirationis cauſa eandem aſpicere uellem factum equiſetum comperi. Id admodum his quæ Virgilius Marcellus in equiſeti ſcholijs ſcribit

conuenire uidetur: Ait enim, si uideat nascentem aliquis equisetum herbam, exeuntemque ex terra aliquot diebus contempletur, nunquam unde futura sit equina cauda in ea intelliget tam breui, nudo, concreto oritur asparago & scapo. Nullibi dissimiliorem natura finem quam in hac planta à suo principio fecit. CORDVS. Hæc & ego legi, quemadmodum & quod Hermolaus Barbarus in Corolario dicit, equisetum in pratis nascentem & ob id inuisam fœnisecis herbam, quasiq; aliquem terræ pilum esse: Sed magis ad Dioscoridę uerba respicio, qui equinam salicem arboriśque nomine equisetum appellari dicit, quod non multum differt ab hoc quod Græcorum aliqui hippurim nigricantem foliȷs pinum nominent. ME Gobacchus. Tu in tua ego in mea manebo opinione. Cordus. Non libenter à te dissentio nedum à communi omnium sententia, licet id citra graue periculum fuerit, siquidem similes fere utriusq; facultates sunt. Videre tamen cupio, ubi hoc equisetum nostrum, salicem utcunque referat, propinquas stirpes ascendat, circumamplexeturq; & hinc nigris comis propẽdeat hactenus non licuit. RALLA. Sponte sua an plantata hic asinina hæc ungula coaluit? CORDVS. Plãtata.

Ral. Mirabar eam in hoc ſolo, quæ longe alio, petroſo nimirum gaudet, enatam. Meg. Eandem hãc Græcorum bechium & antiquorum Latinorum Thuſſillaginem eſſe uolunt. Cor. Id diſcipulos meos iam olim docui. Nig. Iam uideo cur & ægiros ac chameleuce dicaẽ, plane enim pòpuli folium refert. Cord. Eadem cauſſa & farfarus appellatur, quo quondam uocabulo, ut apud Plautum forte legiſtis, populus indicata eſt. Ral. Hinc forte nobis eius farfarellę nomenclatura inualuit. Gal. Albam populum magis quam nigram aſſimilat, nempe albicãti ex altera parte folio, ſed hunc ei colorem ſuperne qua cœlum ſpectat, contra alio rum foliorum naturam, ineſſe Virg. Marcellus ait, quum hic contrarium uideamus. Cor. Sœpe hoc me ſuſpendit, quare diu ſœpeque animaduerti an uſquam uidere poſſem. Tandem ergo certo quodam tempore in ſuperna iſta foliorum parte teneram quaſi lanuginem albicare inueni, quam facili leuiq; pollicis attritu abſterſi. An hanc Dioſcorides intelligat neſcio. Gal. Etiamſi maxime id faciat, non tamen aduerſa pars uiret, ut idem & Dioſcorides & Virg. Marcellus tradit. Nig. Conſulam Græcum Dioſcoridem meum, an forte aliquis ſubſit error. Gal. Germanicum eius nomen au

dire cupio. Cord. Eſels huff. i. ut Ralla uocauit, aſininam ungulam. Ral. Iacobus à Mālīs pro equina ungula adeoq; nenufare, quā uos nympheam dicitis, hanc Tuſſilaginem ſeu farfarellam interpretatus eſt. Cord. Male. Ral. Dicitur et Germanice brādtlattich. i. uſtilaria lappa, quā autē ob cauſam neſcio, niſi forte uſtioni medeatur. Cord. Sed hæc propior uero eſt, quod eius folia quondam uri, & nidor in pulmonem trahi ſolebat, nō leui ad ſpiritus difficultatem auxilio. Nig. Id & iam fieri poteſt. Cord. Hanc quoq; Angelicā hodie dictam, ex Miſſenio per duodecim ferme miliaria noſtra tia allatā huc tranſplātaui. Ral. Magna eſt eius hic & fere ubiq; in humidis locis copia. Cord. Sed non æque bonæ & redolentis. Meg. Mirū quod uetereſ medici ſi modo recētioribus herbarīs credendum eſt, nullā de hac mentionem fecerint. Cord. Quid ſi Nicander, Theophraſtus, Dioſcorides, Galenus, Aegineta, plureſq; tum Græci, tum Latini alī eius meminerint? Meg. Age quo nomine? Cord. Smyrnī, quā & Theophraſtus eam hippoſelinon, quod oluſatri nomen eſt, appellet: Anacteō uero coptiū. Commodum eius radicem hic habeo in eodē monte effoſſam. Meg. Quādo in eo eras? Cor. Proxima ſeptimana cum principē noſtrū Al-

tendorffiũ & Eſchuegã ſequerer: In eũ tunc me ducebat Iuſtus Hybernus herbariæ rei cupidiſſimus etiã ſectator. En eã olfacite & guſtate. Meg. Certe odorata eſt. Cor. Stringe & cõprime eã fortiter, & uidebis ſentieſq; illũ myrrhæ odore ſuccũ, quẽ Theophraſtus ei tribuit, Vnde & nomen. Ral. Idẽ fere odor. Nig. Ergo tu uerã myrrhã olfeciſti? Qua Mãhardus nos carere dicit. Ral. Quã oñes alij ſeplaſiarij myrrhã habent, eandem & ego habeo, an uerã neſcio, atq; eius hic eſt odor. Gal. Eſt & grata in guſtu acrimonia. Hem, hem, hem, ferite ceruicem, ſuffocor. Quã pene perijſſem. Cacodęmonica non Angelica eſt, Imo nec Smyrnium, q̃d difficultati anhelitus, & non niſi recta ceruice ſpirantibus medetur, tantũ abeſt, ut ſtrãgulet. Cor. Id & mihi nuper Altendorffij in Iuſtinis ædibus accidit, dum maius ęquo fruſtum ſumpſerã, atq; ideo magis perſuaſus ſum Smyrniũ eſſe, nam id in cibo fauces ledere Dioſcorides dicit. Dum tamen in uentriculo confectum & ad pulmonem uſq; diſtributum eſt eas, quas iã dixiſti & idem author ei tribuit, facultates exhibet. Meg. Ohẽ Galle quã male iã cucurriebas. Pene eo tecum uentum erat ut nullis unquam gallinis uſui fuiſſes. Gal. Vbi iocus & riſus, ibi nullum eſt fumus. Megob. Niſi forte nouercæ

aut peſſimæ uxoris. Ral. Hippoſelinum illud, quod oluſatrum iam interpretabaris, uſpiam hic naſcitur? Cord. Si quam ego intelligo fuerit, copioſe & ubiq;, atq; ecce ipſum ad hoc dum metũ non tamen adeo grande ut in umbroſis hortis, alijs'q; humidis locis, ubi plane nomẽclaturæ ſuæ reſpondet. Ral. Hanc etiã quidam hic Angelicã eſſe putant. Cord. Longe eſt debilior radicis tum odor tum acrimonia. Meg. Cõcauum, celſum, & ueluti lineis interſectum caulem uideo. Cord. Vidiſſes etiam dum floreſceret denſam & corymborum modo concretam comam ex inuolucro quodam erumpentem. Gal. Germanicum eius nomen æde. Cord. Neſcio, niſi quod nonnulli glade roeren .i. læuem cannam ſeu fiſtulam appellent. Ral. Similis eſt ei aliquatenus quæ gierſa uulgo nominatur. Cord. Hanc ego ruſticum ſeu paluſtre apium aliquando putaui. Meg. Effodi alteram illam, quam dicis, Angelicã, & nonnuerum hippoſelinum ſeu oluſatrũ eſſe ſuſpicor, alba enim apparet radix, quæ hippoſelini foris nigra, intus candida eſt. Cord. Hoc unum hactenus et me ſuſpendit. Meg. Quod etiam in hiſtoria eius legitur, elixos coliculos edi, magis iam à Ralla dictæ gierſæ conuenit, qua recenti homines ueſcuntur. Cord. Vt ingenue fatear

turbant me multiplicia tam uariæ descriptorum apiorum genera. Vbi enim satiuum illud est hirsuto folio? ut ex Theophrasto Virgil. Marcellus citat. Nig. Nescio quàm bene interpres is ibi uerterit, nam Gaza densum non hirsutum transtulit. Cord. Sœpe hæc uox in alijs quoq; folijs me offendit, quibus omnino non congruit. Sic puto & à Lonicero meo in Nicandro mellissophyllum asperum interpretatum. Ral. Ingressum autumnum uideo, autumnales uocati flores prodeunt. Gal. Hos atq; martios nominatos flores Brunfelsius narcissos putat. Cord. Sic & alius quidam ualde doctus, in alijs tamen disciplinis: At meo iudicio toto errant cœlo, nisi Leonicenus, Manhardus, & Vincentius Caprilus me fefellerint, quibus præsentibus & affirmantibus Ferrariæ in Marianorum seruorum cœnobio frater quidam eiusdem sodalitij doctor Iacobus uerum mihi narcissum ostendit longe alia, quam utrique hi flores habent, facie pedali scilicet altitudine surgentem cauliculum, quem liliacea, sed multo minora folia uestiebant. Opertum adhuc folliculo seu inuolucro florẽ uidere non licuit, quãuis in ultima fere estatis parte. Qui martij seu februarij illi flores sint in præsentiarum nihil certi habeo. Verum hic autumnalis

flos agrestis bulbus antiqs Latinis appellatus est, Grecis uero Colchicū. Nig. Quod Dioscorides describit. Cor. Idipsum. Nig. Ergo uenenum est. Cor. Præsentissimum, ut uescens illo, eodem die quasi malis fungis strangulari dicatur, unde & ephemeron appellatum. Conferte huc Colchici illius historiam & in sententiam meam ultro ibitis. Meg. Hac descriptione hermodactylum quidam indicant. Ral. Serapion certe in capite Surugen hanc Colchici historiā exscripsit. Et interpres hermodactylū in lemmate præfixit. Sed hermodactyli nostri non has radices referūt, neq; etiam uenenosi sunt, ut quibus in articulari morbo sœpe uos uti soletis. Meg. Quid si proxime sequens ephemeron nēpe agrestis iris hermodactylus sit. Cor. Id ut non facile credā facit, quod ipsum longā & digitali crassitudine radicem habere legam. Dehinc quod neq; Dioscorides neq; Galenus quicq̄ de purgatoria illa ui prodat. Imo quod Aegineta seorsim à colchico & ephemero hermodactylū inter simplicia sua reponat, eumq; p̄ se, ac elixationē eius ad purgationes ualere, maxime eor̄, q̄ in articulos decidūt, humor̄. Eadē & Serapiō ex Galeno citat, sed nondū in eius authoris simplicibus hermodactylū inueni, ut credā post Dioscoridis & Galeni tēpora

hanc ipſam medicinam repertam eſſe. Ral. Re licto uenenoſo Colchico ad ſalubres herbas ꝓgrediamur. Quæ eſt iſta alto caule, magnis, rotundis, & in circuitu laciniosis foliis: Cord. Non dicam niſi tu quæ malua ſit doceas. Ral. Dñ boni quid audio, uulgarem & notiſſimã omnibus ubiq; herbã te doceã? Cor. Indica ergo mihi, quę tã grãdem caulem habeat, ut baculi uſum prębere poſſit, quẽadmodum Theophraſtꝰ de malua tradit. Ral. Tantã nunq̃ uidi. Cor. At hac in area ante duos annos tã ingens creuit, ut arboreſcens caulis nouẽ meoꝝ pedũ lõgitudinẽ, brachij uero craſſitudinẽ æquaret. Atq; hæc illius neptis eſt. Nig. Credo hortulanã eſſe maluam. Cor. Rhomanã hic maluã appellant. Meg. Neſcio an usq̃ in Italia uiderim. Simile eſt maluæ ſemini & illud, ſimilis q̃q;, ut ſta dicam, lubricitas. Eam omnino fuiſſe crediderim, cuius cibo Cicero inteſtinoꝝ leuitatem contraxit: Non enim ſylueſtrẽ & incultis locis uaria ſpecie naſcentem illã edendo fuiſſe dixerim. Ral. Vbi Lypſiam reuerſꝰ quid Marpurgi egerim interrogabor, me, q̃d malua ſit, didiciſſe reſpondebo. Cor. Deride me ut libet, ego ſi quid ex te didicerim magnam tibi gratiam haberem. Ral. Liceat mihi tecum ut more tuo ſic iure quodam meo iocari. Meg. Iam ui-

deo cur & murina cauda nocetur. Gal. Immanis sit, ille mus oportet, cui sua hæc cauda respondeat. Meg. Dum caulis stringendo trahitur instar murinæ caudæ deglubitur. Ral. Pæoniam ne hanc an pioniã uocem? Cord. Ab inuentore Pæone, pæoniam. Ral. Tunc est quæ Germanice minvuenvuurtz dicitur & altera Pionia in qua grana illa quæ benonien korner appellamus nascuntur. Cord. Nullã ego Pęoniæ à Pionia differentiam scio. Ral. Vulgares tamen herbarij quasi diuersas herbas diuersis his nominibus, adeoq; diuersis etiam capitibus, imo & uiribus distungunt. Cord. Vna est Pæoniæ nomẽclatura, sed duo eius genera, masculæ scilicet & fœminæ, ut in Dioscoride hic legitis. Qui & qd utraq; possit enarrat. Quod si platearius aut alius quispiam ex recentioribus Pioniam dicat, & plures expertus ei uires adscribat, non continuo alia est à Dioscoridis pęonia. Multos tales errores in uulgarib. illis herbarijs comperi. Sic n. uiticellam à bryonia, chamædryn à Gamandrea (liceat eorum uoce uti) irin cuius genitiuus ireos ab iride cuius genitiuus iridis, urinalem à linaria, ut prius auditum est, separãt, ut plures, quæ iam non succurrunt, herbas præterea. Nig. Quæ autem illa pæonia est quam Apulcius in Creta nasci,

& à paſtoribus in extrema facula inueniri dicit, mali granati magnitudine, quæ noctu, quaſi lucerna lucet? Cord. Quid his uerbis author ille uelit, ſiue is Apuleius philoſopus ſiue alius quiſpiam fuerit, non aſſequor. Pluribus huiuſmodi abſurdis alijſq; erratis ſcatet quantumuis ab Albano Torino quaſi alterum Augiæ ſtabulum repurgatus liber, propterea etiam mihi ſtudioſe præteritur. Quis unquam uidit nymphęam, id eſt, ut hodie cum Arabibus dicimus, nenuphar, ſimilia cichoreæ folia habere? At fere in eadem id inibi pagina legitur. Ral. Quam recte hęc muris auricula uocatur, en ut ſimili tum ſpecie tum lanugine nomen ſuum repreſentat. Cor. A Germanis quidē meuſohr, id eſt, murina auricula nominatur, non tamē ea eſt, quā græci myoſotida & id eoꝝ no mē interpretātes Latini muris auriculā uocāt. Errantq; ob id qui hāc piloſellam (ſic enim à Latinis nominatur) cum auricula muris confundunt, & eaſdem facultates habere tradunt. Nig. Græcorū myoſotis eadē eſt quæ alſine ut quidā uolūt. Et qa alſine à ſyluis deriuaſ, forte hęc fuerit quā germanice vualmeiſter .i. ſyluam nā uocamus. Ral. Nos matrem ſyluiam. Cor. Nihil hic decerno, quoniam nō uideo qui eius, matris ſyluiæ ſcilicet folia, murium auriculas

& helxinen imitent, quæ ſtellę modo circa cau
lẽ quadruplici ferme ordine deinceps diſpoſi-
ta longaq; & tenuia ſunt, & facilẽ deſcriptu hi
ſtoriã herba ipſa ꝓbuiſſet, ſi eã Dioſcorides de
pingere uoluiſſet. Gal. En ſimillima figura effi
giatã & forte eandẽ herbã Brunfelſius caprifo
liũ ab authoribꝰ appellari dicit. Cord. Nõ ſine
graui errore, ueruntamen ſcio quid alioqui di
ligenti homini impoſuerit. Periclymenon, q̊d
idẽ caprifolio eſt, etiã alſine, ſed maior, & ma-
ter ſyluia uocatur. Cor. Et hic grauem errorẽ
uulgariũ herbariorꝫ obiter attẽdite, q periclу
menõ, id eſt, caprifoliũ, cũ Lycio miſcent. Ral.
Eſt ne periclymenõ ſeu caprifoliũ q̊d latine in
uolucrũ & Germanice lienẽ bloumẽ ſeu ſpeck-
liliẽ uocamus? Cor. Ita audio & lego. Leonice
nus tñ de liguſtro agens idipſum ab Italis ca-
prifoliũ appellari dicit. Neſcio quod ille ligu-
ſtrum intelligat, non enim id cypron, ſed cy-
pron ſimilem ei fruticem eſſe tradit. Meg. Id
cõtra Dioſcoridẽ Pliniũ alioſq; plures eſt. Ni.
Helxine ne illa cuius prius meminiſti, dicta iã
parietaria eſt? Cord. Maxime. Ral. Germani-
ce ſant Peters kraut, i. herbam ſancti Petri, &
tag und nacht. i. diem & noctem appellamus,
quod ſcilicet bicolores eius flores nẽpe partim
lutei partim quaſi purpurei ſint, ut purpureus

color noctem & luteus diem referat. Cord. Et hic toto erratis cœlo, quotquot hanc herbam pro helxine seu parietaria accipitis. Vis ueram parietariã noscere, in ædes illas i, quas nuper hic cuculliones dicti fratres inhabitarũt ubi magnam eius copiam in imis muris inuenies. Ral. Vt discã certe ibo, modo tu meus in eas dux fueris, ignotꝰ ibi sum hospes. Cor. Et ego uereor ingratissimus. Nig. Quis tunc eas incolit? Cor. Sebastianus Augustus, Nouzenus Hæbraicarꝝ literarꝝ professor et Gerhardꝰ Nouimagus in docẽda historia Buschij nostri successor, uterq; Tauciſſaus, hic Hollãdus ille Flãder. Nig. His tanti habitis hic uiris ingratus est Cordus qui omnibus bonis ac eruditis hactenus placuit? Cord. Cogor hic tacitus labra mordere, & multa, quæ indigne patior, deuorare, ne meũ in me Veiouem, quem illi sibi propicium habent, amplius exasperẽ. Nig. Vt non e literaria rep. sic & inhonesta uestra professorum est simultas. Cord. Nisi idipsum respicerem, hos ego, sed præstat motos cõponere fluctus. Ral. Cõsulte & pie facis q̃d uehemẽtiam tuã cõpescis, modesti enim et Christiani hois est illatarꝝ iniuriarꝝ obliuisci, deo uindictam committere, inimicos suos diligere, bona pro malis reddere. Cor. Durũ et quasi captu impossi-

bile mihi dogma narras. Nig. At author illius Christus iugum suum leue docuit. Cord. Cur ergo tam pauci hoc sibi accommodãt, etiã ex istis qui assidue, ut, id faciamus, in sacris cõcionib⁹ nos adhortant̃, cur ipsi, quoties leuiter etiam offendunt̃, quasi calcati angues sibilãt & remordẽt? Ral. Abeãt illa & rem nostrã agam⁹. Meg. Parietariam illam etiam uitrariã seu uitraginem imo et urceolarem dicunt, q̃d uitrea uasa & urceoli hac herba propter absterſoriã, quã habet, uim, emundari soleãt. Ral. Oportet ut ingentem hãc serpentariæ copiam mecum diuidas iã dudum inanis est eius titulo notata pyxis. Cord. Omnem tibi quam hic habeo serpẽtariam do, sed nullã, scio, etiamsi Argus fueris, inuenies. Ral. Neq; hanc ueram esse serpentariam putas? Meg. Bitortam eam à torta scilicet radice etiam appellari audio. Cord. Hoc ei facilius quã descriptę apud Dioscoridem serpentarię nomen permisero. Ral. Omnes tamẽ seplasiarij sic eam nominãt. Cor. Omnes etiam medici, uerum uni Dioscoridi plus quam cunctis his credo. In quo duplicẽ dracunculũ (sic Græcor̃ dracõtia seu dracontiũ a Latinis etiã dicit̃) legitis, sed neutrũ intorta &, ut hæc est, subrutila imo rotunda bulbosa candidaq; radice. Nig. Minor tamen Dracunculus, ut hic

indicatur, longam, quia raphano ſimilē radī cem habet. Cor. Puto raphanū ibi non radicu lā ſed eā quæ apios eſt, ſignificare, cuius rotun dam inſtar pyri (unde & nomē) radicē forte le giſtis. Nig. Interim ſimile rumici foliū hęc bi torta oſtēdit, quali Dioſcorides dracontiā ſu- am depingit. Cor. Sed non racemoſum nec in maturitate croceū puniceumqȝ ſemē, imo neqȝ bicubitalem, neqȝ lęuē, neqȝ purpureis maculis uerſicolorem caulē. Meg. Hermolaus Barba- rus tñ à ſubrutila & intorti draconis cauda, id eſt, ut ego interpretor, radice dracunculū etiā appellari putat. Cor. Fateor, ſed ſic communi oīm fere medicoȝ authoritate perſuaſus. Gal. Imo ſui etiā Plinij. Cor. Fideliorē Plinio in his ducem Dioſcoridem ſequor, quanq̄ idem pli- nius lib. XXV. cap. ij. Dioſcoridæ dracunculū, quatenꝰ ſupra terrā extat, graphice deſcribit. At quia uideo Ralla te ægre hic mihi credere, rem tibi ob oculos ponā, effode radicem. Nig. Non facile à ſentētia tua diſcedo, noui quā nō temere pronunciare ſoleas. Meg. Qui authori tati & rationi innititur firmius obſiſtit. Ral. En eam. Cord. Guſtate &, quis ſapor ſit, de- hinc reſpondete. Nig. Adſtringens. Megob. Auſterus, & fere qualis dictæ tormentillę. Ral. Ob id etiā eius ſpecies à pandectario ponitur,

Cord. Est ne & acer? Megob. Nullam acrimoniam sentio. Cord. Quam ergo ex eo qualitatem iudicatis? Nig. Frigidam & siccam. Cor. Sed ueræ serpentariæ acris, & ob id calida est radix, hinc illæ, quæ à Dioscoride ac Galeno tradũtur, eius facultates sunt, quibus plane cõtrarias hãc bitortam habere crediderim. Ral. Si id uerum tunc magna esset medicorum inconsiderantia, qui hanc bitortam pro serpentaria etiam adhuc utuntur. Cord. Ego eos falli, si pateris, persuadebo. Gustastis ne aliquando nostras arum? Gal. Nescio quàm egregie nuper eo mihi illuseris? Perpetuo me illud gustasse meminero, tam acres ac diutinas in lingua puncturas excitauit. Cord. Sed superior est eo serpentaria. Megob. Id uerum esse hic in ari historia uideo, ubi sic legitur, Candida illi radix ad dracunculi radicem accedens, quæ quod minore acrimonia est elixa comeditur: Galenus quoque secundo libro de alimentorũ facultatibus acriorem aro serpentariã his uerbis innuit. Huius (de aro loquitur) plantæ radix rapi modo manditur. Quibusdam in locis acrior nascitur, ut dracũtio fere similis sit. Sed apertius sexto simplicium libro sic, draguntium, inquit, quiddam aro per similе obtinet tum foliis, tum radice, cæterum illo tum

acrius, tum amarius, ac proinde calefactorium magis,& tenuioribus partibus. Gal. Nullum ego dracuntium aro ueſtrate mordacius puto. Cord. Tu tamen id in primo caliditatis gradu eſſe contendebas, quod ut falſum oſtenderem guſtãdum dedi. Gal. Id non mea ſed Galeni authoritate dixi. Cor. Scio quidem Galenũ ſic tradere, ſed uidere oportet quale nã arõ intelligat, non enim ubiq; æqualiter acre naſcitur, ut ex iam citatis eius uerbis liquet, poſt quæ,& mox inferius. Cyrenis, inquit, contra quàm in noſtra regione arum ſe habet, nam illic minimum medicinæ, minimumq; acrimoniæ præſefert, adeo ut uel rapis utilior habeatur, idcirco radicẽ quoq; in Italiam comportant, ut quæ, abſque ut putreſcat aut regerminet, longo tempore perennare poſſit. Illud itaque comportatũ in Italiam arum, quod forte intelligit, non adeo, ut noſtras, calere conſentaneum eſt. Ral. Vt hinc uideo, non ita magnus error fuerit, ſi quis aro pro ſerpẽtaria utatur? Cord. Imo nullus, & ut id facias omnino con ſulo, non eñ multo inferiorem ea uim arum noſtras habere putarim. Ral. Quid ſi medici noſtri nolint? Cord. Si quem erroris ſui per me admoneri puduerit, & ob id in falſa potius opinione ſciens perſeuerare uoluerit, libe-

re poteſt, ego neminem cogo. Gal. Audiui iã cãdidam eſſe Ari radicem. Cor. Non talem & uidiſti cũ mãdares? Gal. Sed Plinius li. XXIIII. capite uero XVI. eam nigram depingit. Cor. Quam recte autẽ neſcio. Defendat hic aliquis eum Collinutius, ego non habeo quod dicam, ipſa res ac experientia Dioſcoridi patrocinatur. Nig. Nuſquã in hac Germaniæ parte uerã ſerpentariam prouenire putas? Cord. Ego hactenus reperire non potui quãuis ut id poſſem laborauerim. Sed te Galle proculdubio in tua eam patria non ſemel uidiſſe, ac optime noſſe, ſi admoneare, credo. Reuerſus enim e Lutecia filius meus Philippus narrauit mihi conſpectam ibidem ſibi herbam quam ad tabernas ſuas pro ſpectaculo ſeplaſiarij ſuſpenderant, fere ſimilibus rumici & ſibi inuicem implicitis foliis, uerſicolori & quaſi anguem referente caule, in cuius ſummo purpureum fuerit inuolucrum, ſed à nemine, quod eius nomen eſſet, expiſcari potuiſſe, imo ſe, quoties interrogaret, irriſum fuiſſe. Quam picturam, cum animi oculis intuerer, ſtatim ſerpentariã fuiſſe conieci, memor eorũ quę Virgilius Marcellus in Ari ſcholiis de dracunculo dicit, nempe habere eum, non, ut Arum, pallidũ ſeu herbaceum, ſed purpureum, quo ſemen claudi

tur, inuolucrũ. Gal. Iam memini & noui, sed nullum aliud apud uos nomen hæc bitorta habet? Cord. Legens herbarios uulgus, dracuntium & serpentariam interpretatur, & drachẽ vurtz, nottervurtz, sed idiotæ rustici, schlippen appellant. Meg. An uspiam apud Dioscoridẽ latet? Cord. Ita quondam opinatus Britannicam esse putaui, quod ea similibus rumici nigrioribus tantum foliis describitur, & adstrictoria ei facultas tribuitur, quæ huic bitortæ non male conueniunt. Meg. Quid ab hac te opinione nunc retrahit? Cord. Quod etiã hirsuta britannicæ folia describuntur, quæ hic rugosa apparent. Meg. Quid si & hic interpres pro hirsutis densa trãsferre debuit? Cord. Tamen radix hæc non britannicæ radici, quæ tenuis breuisq; est, respondet, licet id non admodum urgeat, cum huius etiam bitortæ dum adhuc tenera & recens aliquo plantata est, talis fit. Ral. Pandectarius bitortam ab antiquis bardoniam, Id est, lappam minorem uocatã inquit. Cord. Hoc nomine aliæ herbæ indicantur, nec quicquã hic uideo quod retinace asperitate lappam referat. Aeque errant qui alterẽ cũ catanances genus putant reclamante histo ria. Meg. Illud uehementer miror, quod cum pandectarius ipsam draganteam (sic dracon-

tiam uocat) proprio capite seorsim à bistorta describat, recentiores tamẽ herbarij, qui oẽm suam hinc scientiam habent, eandem draganteæ bitortam ponant. Cordus. Erratur & in asphodelo, pro quo bulbosam quidem sed longe aliam, quam asphodeli est, radicem uẽditis, ex humili collectam herba, cum asphodelus omnium, quæ bulbos habent, plantarum maximum caulem proferat, ut hinc etiam regia hastula uocetur. RALLa. Oportet nos tabernas nostras non uacuis, sed si non uera saltem succedania medicina plenis pixidibus instruere. CORDVS. Si hoc fieret tollerabile esset, nũc contraria contrarijs frequẽter succedunt, imo aduersantur et obuiam occurrunt. NIGER. An hęc etiam herbula aliquam medicinam facit? CORDVS. Egregiam, ut mihi quædam anus nuper retulit, quæ contra tormina efficace remedio se hac sæpe usam affirmauit, ut idcirco rodekruit seu rhorkraut, id est, torminalem dixit, hinc ego centunculum eam esse opinor, respondentibus alijs notis. Videtis enim tenuia, mollia, ac alba in ea folia. Megobacch. Tota albicat ac mollicula est herba. Cordus. Fidem etiam facit omnium quæ de gnaphalio Vergilius Marcellus ait: uulgaris ubiq; scatet, pingui solo præsertimq; marginib⁹ itinerũ

& in hortis & inter uites, nunq̃, quod ego uidi, in quiescenti & gramine obducta terra nascitur. Gal. Sed ubi rostrata & ad similitudinem capitis penulæ effigiata sunt folia: quibus cẽ tunculum suum Plinius indicat: Cordus. Non Plinianum sed Dioscoridę centunculum exhibeo. Ralla. En maiorem hic consolidam seu, ut recentiores dicũt, solidaginem. Gallus. Hoc nomine eam index non habet. Cord. Quære symphytum alterę. Argallicum etiã apud antiquos dictum in Cælio Aureliano legi. Gallus. Non respondet florę color, quem nuper in ea albicantem uidi, cũ Dioscorides hic eũ luteum dicat. Cord. Id nihil me suspẽdit, cum nõ ubiq; similes, q̊d prius dixi, etiam earundẽ herbarũ flores sint. Vidi nuper apud Bremẽses hoc symphytum purpureo flore. Aliud est quod in eius historia me remoratur, quod scilicet idem caulis nunc leuis, nunc angulosus dicitur. Imo nescio quàm simili effigie huius flos rutę florem referat. Quæ tamen non tanti momenti sunt, ut hoc uerum symphytum esse dubitem. Gal. Eius Germanicũ nomẽ gross beynvuel in codicillo meo prius notatum lego. CORDVS. Dicitur & vualvurtz schärtzvurtz, Et in Saxonia Schmervurtz quasi aggeraria nigra & unctuosa radix. NIGER. Quæ autem illa

non adeo abſimili huic folio? Cord. Miſit mihi huius herbæ ſemen Chriſtophorus Tonſorinus Caſſilianus ciuis, & Camerarius ſcriba. Verumq; id recentiorum buglosſum, id eſt, ut quidam uolunt cirſium, affirmauit. Crederē et ego, nec libenter à tam charo amico diſſentirem præſertim cum earundem rerum non leui mecum ſtudio afficiatur, ſi purpurea hæc capitula ferret. Gal. Purpuraſcentes & quaſi cæruleos flores habet. Cord. Sed qui non in pappos, ut Dioſcorides de cirſio ait, euaneſcunt. Ral. Noſtra plurimū ab hac bugloſſa differt, quæ purpureos flores habet. Cord. Sed interim multo minora tenuioraq; folia, quàm ut hinc maius buglosſum, ut de cirſio legimus, uocari queat. Hic uos dictam hodie boraginem habitum antiquis buglosſum meminiſſe oportet. Multas ſcio bugloſſas à Germanis ſeplaſiariis monſtrari, quarum nulla maiora quā borago folia habet, præter hanc eidem admodū ſimilem & cirſij hiſtoriæ, reſpondentem, Excepti poſt florem pappis. Idcirco quandam anchuſæ ſpeciem ſuſpicarer, ſi experiēti mihi per meſſem contrectata radix rubicundo colore digitos meos infeciſſet. Id enim omnes anchuſæ faciunt, & ob id olim cognitiſſimæ mulieribus radices, ut quibus roſeum faciei colorem

illæ inducerent. Nig. Mirum ergo hoc formæ
ſ ſønociniũ hodie, ut Marcellus putat, negligen
tibus illis imo & à ſeplaſiarijs noſtris ignora-
ri. Cord. Non minus tamen quam olim naſci
tur, ſed alio, nempe Muſcellinæ & aſininæ la-
ctucæ noĩe, & magna eius copia eſſe dicit Bo-
noniæ in loco qui el Martia grand uocatur, ut
Otto Brunfelſius ex Bononienſi quodam cõ-
mentario indicat. Imo puto eam & apud nos
abundare, & inter Bugloſſas numerari quem-
admodũ & echiõ id eſt, alcibiadiũ, quæ illa bu
gloſſæ noſtratis ſpecies eſt, ut ſuſpicor, quæ bo
raginis flores imagine aliquantulum refert, ni
ſi quod profundiores & minus laciniosi ſunt.
Imo & colore, ſed conniuentes adhuc, purpu-
reſcunt. Vbiq; fere ad itinera & aſperis locis,
imo & in muris naſcitur, in Brunfelſianis to-
mis pro ſylueſtri bugloſſa graphice depicta.
Eius ſemen adeo uiperinum caput exprimit
ut etiam oculi in eo conſpiciantur Id quod Va
lerius meus deprehendit. Meg. Duo echia & to
tidẽ alcibiadia animaduertiſſe me recordor.
Cordus. Veruntamen, tres tantum herbę ſunt,
nam prius echion etiam alcibiadium, ut iã au-
diſti, dicitur, ſic & altera anchuſa. Alterũ uero
echion ocimoides, id eſt, ociøſtaſtrũ à Dioſco- 111
ride nominat. Mego. Non ſatis admirari poſ-

ſum arcanam illam naturæ, neſcio qui dicant, energiam ne an benignitatẽ, quæ foris conſpicuo aliquo iudicio intus latentẽ herbarũ uim prodit, ut in eodẽ echio apparet, cui⁹ uiperina illa capita efficacem cõtra uiperas facultatem indicant. Cord. Sic etiã ſcorpioidis ſeu ſcorpiũ herbæ ſemẽ, ut Dioſcorides uel ut Theophraſtus & Nicãder aiunt: radix ſcorpionẽ referẽs contra idem inſectũ ſalubre eſt antidotum, ſic & maius heliotropium indicãte id ſimili caudæ ſcorpionum flore, unde et ſcorpiurus dicta herba, Quin etiam mox ſequens alterum, id eſt minus heliotropium ſimili uerucis ſemine cõtra eaſdem ualere deprehendit, hinc & ueruca ria dicta & ipſa, quemadmodum & altera. Mego. Idem in pluribus alijs fit, nam ſic & ſaxeum lithoſpermi, id eſt, ſolaris milij, ſemen, ſuãcontra calculum facultatem innuit. Ralla. Quam nos uerucariam putamus huic, quam lego hiſtoriæ nihil reſpondet, Nulla eſt in flore ſcorpionis cauda, imo nec ille, ut hic pingitur, candidus purpuraſcit, ſed aureus fulget, neque aliquas unquam in ea quaſi uerucas uidi. Cor. Intelligis audio, calendulam, nam eam heliotropium. i. ſolſequium ſeu ſolis ſponſam & uerucariam falſo creditis. Ralla. Quæ ergo hæc eadem calendula eſt? Cordus. Non pudet eam

ignorare me fateri, cum ipſe Manhardus præ ceptor meus idem facere uideatur, cũ Lyſima-chium eãm eſſe aliquãdo ſuſpicatum ſe dicat. Alibi tamen omnium menſium florem uulgo appellari tradit. Nos ringelblomen, id eſt, circularem florem uocam⁹, uel à ſemicirculo quẽ ſemẽ refert, uel quod ad ſolẽ circulariter nutet, ut &, quod heliotropium creditur, error ille ir repſerit, quemadmodum & eorum, qui agreſte illud intybum, alias cichoriũ & ambubeiã dictum, pro eodem helitropio accipiunt. Ral. Nunquid Germanice uocatã vuegevuardt ſeu vuegevuiſſe, id eſt, cuſtodiens ſeu indicans uiã, & apud Saxones hinlaup, intelligis? Cordus. Hanc ipſam, RALLA. Cuperem omnia intybo-rum genera me exacte noſſe, & ſuis ſingulæ nominibus diſtinguere poſſe. Cord. Non uacat, neq; adeo operepreciũ duco, in his iam' diũ tius morari, cum quaſi eandem ferme omnia facultatem habeant, neque facile ipſe ſua ſin-gulis nomina tribuerim, quandoquidem in di uerſis ea locis promiſcuâ mutuant. Ad Vir-gilium Marcellum & Iacobum Manlium de intybis tractantes uos remitto. MEGO-BACCHVS. Saltem quæ cicerbita ſit, doce, nam hanc congenerem intybis & ualde anti-dotariam herbam aiunt. Cordus. Cicerbitam

olim eam esse putaui quã Germanice in Saxonia hasen koel, id est, leporinam brassicã, ut hic gensse disteln, id est, anserinũ carduum uocant, & quidam idem ei taraxacon credunt, quam meam opinionem confirmauit rediens ex Italia Christianus Schroterus Frãcobergius qui eandem herbam ibidẽ & lactucellam & crispinum appellari dixit, quę etiam sonchi id est cicerbitæ nomina sunt. Duplex eius genus est alterum asperius ac nigrius, alterq; uero mitius & minus nigrũ atq; eccum in hac utrũq; area. ubiq; enim scatet. Ral. Anserinũ carduũ endiuiam uulgares herbarij nominant pro qua tamen aliam nos accipimus, maiorẽ scilicet, quę per dorsi spinã aculeata folia habet. Cordus. Hinc & Italice scariola .i. ut ego interpretor, serriola uocata. Mego. Equidem endiuiam ab intybo, cui eadẽ est, paulatim corrupta uoce deductam puto. Cord. Recte, sed nihil & tu iam ex Italia ueniẽs de cicerbita illa edisseris? nam uereor ne errem, sunt eñ qui crispam ac teneram lacinioſamq; lactucam, uerã cicerbitã, & quam ego cicerbitam, illi hieratiũ esse contendant, in qua opinione & ego aliquãdo fui. Verumtamen idem, quem dixi Schroter⁹ Italos crispam illam lactucã inter intyba, id est, endiuias referre affirmauit. Meg. Ingenue fateor,

alijs studijs occupatior eram quā ut inquirendis herbis me dedere potuerim, sæpe cicerbitā in acetarijs edisse me reor, uerum non animad uerti. Niger. Quæ illa candidis lanuginosisque folijs & purpureo flore? RALLa. Germanice campulosa & marien rosen, id est, mariana rosa uocatur. Cordus. Quædam uerbasci species est, illa scilicet quę Dioscoridi lichnitis, & thryallis dicitur, quod ex conuolutis siccatisque eius folijs seruientia lucernis elychnia fiant. Est etiam, sed rarior inuentu, flore candido. GALLVS. Et mihi quæ illa sit, dicere non tedeat. CORDVS. Ophthalmica seu ocularia, quæ alias euphragia & adhil, Germanice uero augben trost, id est, oculorum solacium appellatur. Gallus. At non hac facie Brunfelsianus codex euphragiam suam exhibet. Cordus. Forte ab hac aliam Brunfelsius nouit, quæ perinde oculis medeatur. Ralla. Non sponte hic natam sed e natalibus syluis huc transplantatam pirolam illam puto. Cordus. Vix coaluit, quamuis eam una cum matre terra, sic ut non auulsum situber, infoderim. NIger. An uspiam & huius Dioscoridesin herbarum suarū censu meminit? Cordus. Nisi limonium fuerit, nescio. Nam hęc à quibusdam Germanice à similibus .s. folijs vualtmangolt

id est, syluestris beta dicitur, quo nomine Plinius limoniam eadem ex causa uocat. Ipse quoque Dioscorides limonium suum talibus decem & aliquando pluribus foliis describit, & tintinnabulum terræ à Romanis tum dictum ait, forte à similibus tintinnabulo floribus, quæ omnia in hac pirola conspiciuntur, Imo rubrum etiam semen. Vnum hoc me suspendit, quod lilij altitudine caulem ei autor ille tribuat, cuius quidem aliqualem similitudinem florens pirola refert, sed multo minore caule, ut qui pedalem altitudinem raro excedit. Gallus. Sed limonium in pratis & paluſtribus locis prouenire hic lego. Cor. Duplex est pirola, mascula scilicet quę iuxta fluuios, & in aquosis nascitur, cuius folium arboris pyri folio simile est, hinc pyrula & corrupte paulatim pirola appellata. Fœmina altera, quæ in umbrosis & syluestribus scatet, chirurgis & tonsoribus nostris optime nota, uulnerariam enim adstrictoriamque uim possidet, quam etiam DIOSCORIDES limonio tribuit cum id celiacis & intestinorum torminibus opitulari & rubras fœminarũ fluctiones compescere dicit. Nolo tamen omnino hic decernere, sed uos, ut exactius hæc perpendatis & ipsi de hinc iudicetis, admonere. Quemadmo

dum in hac proxima herba. RALLa. Quam demonſtras? CORDVS. In hoc naſcentem alueolo, quam aliquando alyſma, id eſt, damaſonium putaui, & adhuc in eadem fere opinione hæreo, quod uideam eam damaſonij hiſtoriam exprimere, ſimilibus ſcilicet plantagini & in terram aliquando reflexis foliis, candidis floribus & poſt illos in ſummo (qui cubitalis eſt) caule enatis capitulis. Effodite etiam radices & eas graciles, odoratas, modice pingues, demum nigro ueratro ſimiles inuenietis, niſi quod non ita nigricant. Modo nigrum ueratrum ſit, quod hic omnes id eſſe putamus. Veruntamen remoratur me quod hæc ſemper binis nunquã pluribus foliis conſpiciatur, & hoc eius quaſi proprium ſit, quod tamen Dioſcorides in damaſonio, omnino dicendum, prętermiſit. GALLVS. Qui Germanice uocatur. CORDVS. Nunquam appellari audiui, diceretur tamen non iniuſte aquatica plãtago, ſi non barba ſyluana hoc ei nomen prę-ripuiſſet, licet damaſoniũ ſeu alyſma (almea corrupte in uulgaribus herbarijs legitur) quidam fiſtulam paſtoris dicant nulla ad hanc herbam comparatione, quare incertus eam relinquo. RALLA. De nigro ueratro, quod tamen omnes nos nouiſſe credimus, e-

tiam te dubitare uideo. CORDVS. Non temere nec ſine ratione ſi modo & tu dictam Germanice chriſtwurtz, id eſt, CHRISTIANAM herbam & rangen (quod interpretari nequeo) intelligis. RALLA. Non aliam. CORDVS. Huic nigri veratri hiſtoriam confer, concipeque animo chriſtianam illam à primo ortu ad ſupremam uſque conſiſtentiam, & conſidera an folia platano ſeu (ſi platanum, ut peregrina Germaniæ eſt arbor, forte non noſcas) incipienti betæ imo & lauro ſimilia racemoſos uero & in candido purpuraſcentes flores habeat, ut ex Theophraſto DIOSCORIde & Plinio de nigro ueratro colligitur RALLA. Nulla in his eſt ſimilitudo interim tamẽ obſcurus ille foliorum uiror & ſcabra aſperitas atq; ipſa radicũ gracilitas nigredoq; & quaſi ex ceposo capite exiens multitudo imo & purgatoria uis non abludit. Cordus. Si eſt ergo ueratrũ nigrum per me libere manebit. Megobac. Si quæ dicitur, Chriſtiana eſt, nullam cuiq; uim nullam iacturam infert, neminem turbat, ſecura & non uiolenta ſumptu eſt herba. NIGER. Num illam naturam tale nomen adepta herba poſſideat ignoro, certe plerique hoc titulo inſignes homines magni nequam & nebulones ſunt.

CORdus. Id uerum esse sæpius quam par & utile mihi erat, expertus sum. Ralla. Feraxest lacertarum hortus tuus uideo. Cordus. Ego has non ueras sed chalcidicas lacertas, id est, sepas esse crediderim. Nõ em̃ ut in Italia magnæ & uirides sunt. Mego. Tales in Germania, quatenus ego peragraui, nusq̃ uidi. Cor. Sed interim non adeo absimiles salamandras. Mego. Nescio. Cord. Nunquid nouisti bestiolas illas quas Germanice ulmas seu mulchas dicimus? Meg. Hos stelliones esse didici. Cor. Ipsissimæ salamandrę sunt. Ral. In igne salamandras uiuere & inueniri uulgo creditur. Cordus. Cur tunc non nisi in magnis imbribus prouenire, & secuta serenitate deficere solent? Id uerum sua eas frigiditate glaciei modo ignem restinguere, & aliquãdiu in eo incolumes uiuere posse, sed si diutius mãserint non secus ac alias res comburi. Ralla. Quid si Marpurgensem tibi ciuem nominẽ, qui ex salamandræ pilis deducta fila habeat: quę nullo igne absumi queant? CORD. Forte Iohannes Vernemus est. Ral. Is ipse. Cor. Ludis an serio hæc dicis? Ral. His oculis uidi. Cord. Quis unq̃ pilosas salamandras totundit? Nunquid legisti Plinium, qui eiusmodi non tantum fila sed & cõtextas hinc telas adeoq; concinnatas uestes tradit, non ex

ſalamandrinis, qui nuſquam ſunt, pilis, ſed cer
to ac incõbuſtibili quodam lini genere. Quod
tamen quale ſit & ubi naſcatur neſcio, dubi-
toque num amiãthum ibi intelligi debeat, de
quo tales telas fieri certum eſt. Megobacch.
Teſte Dioſcoride. Sed qui ſtelliões ſunt? Cor.
Dictæ in Italia tarantulæ. Mego. Iam ſimiles
lacertis beſtiolas agnoſco. Ral. Forte ſtincos
intelligitis? Cordus. Quos ſtincos? RALLA.
Aquaticas lacertulas. CORDVS. Vt in
ipſa nomenclatura ſic & in re omnes ibi ſepla
ſiarij erratis. Scingus emm non ſtincus, nec aqua
tica lacerta illa, quam uos accipitis, ſed terre-
ſtris crocodilus dicitur, qui adeo non hic in-
uenitur, ut uel ex Aegypto, uel India, uel Lybię
Mauritania, uel e rubro mari aſportetur. Ral.
Nos non alium ſcingum quam dictas lacertu
las accipimus, an ſimiles hæ uirtutes habeant
uos, qui hunc errorem non corrigitis, uide-
ritis. CORDVS. Decerpe mihi puer unum
& alterum menthæ ramulũ. Maxime hoc &
abrotani edere oblector, ut æque mihi hæc iã
herba ac olim adhuc puella plutoni, grata ſit,
ut cõgruũ ſibi apud Greęcos uocabulũ ideo na-
cta merito uideatur. Mego. Miror grauiſſimũ
autorem Ariſtotelẽ in probleumatis ſuis men
tham belli tempore non ſerendã dicere, quod

refrigeret, aut genitură absumat, cum id cõtra ipsam tum experientiam tum omnium medi cor autoritatẽ sit. Cord. Nititur Hermolaus Barbarus id ita diluere, quod menta per se qui dem calefaciat, uer per accidens refrigeret, id quod ei nõ ita facilis credo, q̃d calefactoria illa uis cum quadã adstrictione misceat, imo & Ve nerẽ teste Dioscoride, stimulet, q̃d non posset, si genitură, ut Aristoteles credidit, absumeret. Gal. Hunc florẽ Brũfelsiani tomi graphice de pictũ exhibẽt, sed nõ intellecta mihi nomẽclatura, qd ganss bloumen significat? Ral. Anserinum florem. Cord. Ioanninus hic flos dicitur, quod ipso Diui Ioannis die superstitiosum uulgus superliminaria & fores his floribꝰ exornare, atq; solenni quodam ritu conuenientes puellæ factũ hinc topiariũ opus ducto trãsuerso per plateã fune nuper ante sublatas ceremonias suspendere solebãt. Sed pronuncians hoc uocabulũ uulgus Ioãs bloumẽ dicit, quod fere gans bloumen sonat. Meg. Parum imo nihil refert utro noĩe uocet, modo quæ Dioscoridis herba sit constet. Cor. Eius chrysanthemũ & Romanor calta esse, suspicor. Ni. Nõ temere, ecce em̃ fruticosam herbã, leuẽ eius caulẽ, diuisa in cisuris folia, & luteos egregiisq; in medio splendoris flores, instar oculi i orbẽ circulares.

Meg. Idcirco idem buphthalmo chryſanthemum quidam exiſtimãt. Cord. Fallũtur, nam aliis uiribus, aliter alia & ſeorſim ab hac deſcripta eſt buphthalmus, adeoq; illa quæ Germanice kouthill, id eſt, uaccinum anethum dicitur, à medicis uero cotula non fetida. Nam dictæ fetidæ cotulæ quam nos hondtsdill, id eſt, caninum anethum uocamus, per omnia ſimilis eſt, niſi quod candidiora robuſtioraq; folia, maiores flores habeat, tetrumq; odorem ſpiret. Eſt tamen commune Chryſanthemo buphthalmi nomen, quod fere idem utriuſque flos appareat. Maior tamen ille in hoc chryſanthemo eſt, quare in quibuſdam etiam locis non uaccinus ſed equinus oculus uocatur. Nõ contemnenda in medicina herba ad diſcutiendas ſteatomata, quas hodie nattas uocant, & reddendo auruginoſis colore. RALLA. Grata igitur mihi & illius erit cognitio. CORDVS. Et hæc ſimilisq; altera quædam affabre expreſſam in tomis tuis effigiem habẽt, ſed non uero interim nomine indicantur. Ral. Nos perſicariam dicimus. Cor. Ego hãc Dioſcoridis hydropiper & Plinij filiquaſtrũ ſeu piperitida credo. Nec obſtat quod Hermolaus Barbarus de hoc dubitare uidetur inquiẽs. Eſt & in folio perſicariæ litura maculæ modo in-

ſcripta, quæ ſi fuiſſet in hydropiperi fortaſſe non omiſiſſent authores. Non animaduertit doctiſſimus diligentiſſimuſq; alioqui ſed ſedentario tantum ſtudio forte deditus homo alteram perſecariæ ſpeciem, quæ acri mordacitate pungit, nullam habere maculam, quæ uero habet eam fatuo fere ſapore eſſe. Dubito tamen hic nonnihil q̃d Auicenna caninũ piper ab hydropiperi, q̃d idẽ ſuſpicabar ſeparat. Ga. Brunfelſius pulicariam uocat. Cord. Id ei nomen cogruere poſſe non nego, quod & ipſa pulices necare uulgo creditur, ſed propterea eandem Græcorum conyze eſſe nemo mihi perſuadebit. Ral. Satureiam hanc in quam commodum incidimus, Iacobus Manlius in ſuminari ſuo minorem Græcorum conyzam eſſe oſtendit. Cord. Vt in plæriſq; alĩs ſic & in hoc hallucinatur. Ral. Parcius. Dicit à græco id homine, neſcio ubi, didiciſſe, confirmatq; quibuſdam uerſiculis. Cord. Ridiculis nimirum & ſe dignis, nam eoſdẽ & ego legi. Ral. Non omnes poetæ eſſe poſſumus. Cord. Neq; id ego in eo requiro, ſed maiorem in monſtrandis herbis diligentiam, quanquam non adeo infœlix earundem, quod prius dixi ſcrutator eſt. Si eadẽ conyzæ ſatureia eſſet non duobus eas capitibus deſcribens Dioſcorides quaſi ebrius ſepa-

raſſet. Sed confer huc minoris conyzæ hiſtoriam, et hinc tute iudica. Vt pedalis altitudo quadret, ſubamarus tamen & luteus eius flos, qui in lanugenoſos pappos euaneſcat, manifeſto indicio diſcrepat, ne aleagina interim folia imputem. Nig. Si eadem thymbrę ſatureia eſt, ut ipſum capitis lemma oſtendit, miror Colu mellā canere. Et ſatureia thymi referẽs thymbræq; ſaporem. Cord. Vt paucis te expediam ſcito duas thymbras, id eſt, ut Latini appellant cunilas eſſe, alteram agreſtem ſeu ruſticam, alteram ſatiuam hanc, quæ quia minori eſt acrimonia, in condimentario genere edulijs concoquitur, hinc à ſaturando, quaſi proprium ſaturejæ ſibi nomen inuenit. Quod tamen agreſtis illa ab hac aliquando mutuat, peculiariter alioqui thymbra dicta. Nunc facile intelligis Columellam thymbræ nomine ruſticam cunilam, & per ſatureiam, ſaliuam ſeu hortulanam hanc cunilam ſignificare. Ral. Recte, olim etenim cum Brunſuici tecum eſſem, audiui Saxones ſatureiam ibidem hortulanam cunilam appellare. Cord. Noſtras quoq; gens multis in locis ſic uocat. Ral. Sylueſtre ſerpillum etiam hic cunilam dicunt, ſed parũ, ut fit, corrupto nomine. Gal. Quo ergo? Ral. Cunel & quenel. Meg. Quid ſi hoc ipſum ſyluestre dictũ

ſerpillum hæc ruſtica cunila ſeu agreſtis thym bra ſit? Cord. Si aliud ſylueſtre ſerpillum demonſtrares, facile tecum ſuſpicarer, ad quod accepta hæc per ueterum manus Germanica nomenclatura, non paruam & mihi occaſionem dedit. Imo et complura alia pronum animum trahunt, quorum id primum eſt, quod plenam floribus ſpicam habeat. Ral. Sed non uiridi colore, qualem hic ei Dioſcorides tribuit. Cord. Hunc ego non florum ſed herbæ intelligi deberi credo. Megob. Perge. Cordus. Secundum quod grata apibus herba ſit, qualem Columella thymbram commendat. Tertium quod & thymi & ſatureiæ ſimilem tum odorem tum ſaporem referat. Nig. Theophraſtus quoddã ſerpilli genus à ſatureiæ odore ſatureiatum dicit, quare ne temere pronunciesuide. Cord. Id non libenter ſoleo. Si omnino herbarij noſtri ſerpillum ſuum tueri uolũt, per me magno ocio licet, ſed uelim interim mihi dicant, qui zygidos nomen ei conueniat. Abſurdũ enim uidetur, ſi quod quidam uolũt, à trutina, quam græci zygon dicunt, ob ſimilem ſcilicet ramulorum rectitudinem, quæ in multis alijs herbis euidentius apparet, uocari debeat, aut quod eo uites iugentur, id enim zygũ græcis nonnunquã ſignificare audio. Non

est tantus huius herbulæ lentor, non tanta lon gitudo, ut aliquis sit ad uinciendum usus . Ral. Si hoc syluestre nobis serpillum abstuleris, nul lum aliud relinques, nullum enim aliud herba- rij nostri ostendunt. Cord. Ego multis iam an nis laboraui ut hortense illud serpillum cogno scerem, sed frustra, quantumuis uulgarem ali- bi & omnibus notam herbam. Nisi fortasse sit quod hic pulegium credimus, huic enim hor- tensis illius serpilli historia admodum congru it. Serpit hoc per terram, & ascendit adminicu la, pēsiliq; ex horto perpetua ramulorum pro pagine in quamlibet longitudinē demittitur. Ita ut sępe mecum cogitarim num & in demō strando pulegio errauerimus . Hanc suspicio- nem meam auxit quod aliquādo legerim græ cum quendam sapientem prolatam in publi- cum pultem immisso pulegij ramo identidem miscuisse, graui scilicet dissidētes lasciuientesq; ciues castigandi amaritudine & arcano docu- mento. Debilior teneriorq; est putati pulegij nostri stipes quā ut eo puls misceri agitarique possit. Accedit & illud, quod in polycnemi hi- storia pulegium umbellam habere innuitur, qua creditum pulegium nostrū caret, nisi uerti culares orbes illos, quos ubi defloruerit, osten dit, umbellas dicere uelimus. Adde quod & ne

ſciam quod ſimili imagine uerũ dictamnum referat, quod tamen adeo ſimilia pulegio folia habet, ut hinc ſylueſtre & ceruinum pulegium appelletur, nunc ea ipſa tomentoſa et lanoſa pube obducta ſunt, qualia pulegium noſtrũ non habet. Quin etiam Plinius utrunque echium pulegio ſimile dicit, ualde diſſimile ad pulegium noſtrum comparatione. Gal. Et Paulus Aegineta uetonicam pulegio æquiparat. Cor. Sed non Romanam & uulgarem illam, quam Dioſcorides ceſtron dicit, imo alteram, nam duplex eſt uetonica, ut ibidem uidere eſt. Meg. Non melius conſilium in hac controuerſia dedero, quàm ut pecori guſtandum pulegium noſtras porrigatur, ei tum, ſi uerũ id pulegium fuerit, balatus quàm primum excitabit. Ral. Non facile communẽ omnium noſtrãtium medicorum opinionẽ & conſenſum poſthabebo. Cor. Neq; ſuũ illis pulegiũ ſurripiã, ſi hortenſe mihi ſerpillum oſtẽderint. Sunt eñ & multa quæ hoc idem pulegiũ uerũ pulegiũ eſſe perſuadeant. Video enim facilem eius coaleſcendi naturam, ut ſi etiam minutiſſime incidatur & ſeratᷤ, tamen creſcat, quin & derelictis animo ęgris magna refocillandi facultate adhiberi ſoleat. Multæ etiam mulieres eo contra uaria locorum ſuorum uicia, efficaci, ut ipſę pu

tant,ui utuntur,ut cæteras eius uirtutes præte-
ream. Nig. Sed quid ad eam, quam ſuper hoc
induxiſti contentionem dicendum? Cord. Il-
lud uobis alijśq; me doctioribus uiris cogitan
dum relinquo, quorum latam hic ſententiam
libenter audiam. Ral. Oculatos, diligẽtes acri-
que perſpicacitate præditos homines diſcen-
da medicina requirit. Meg. Non ab re ſacri fin
guntur Aeſculapio dracones. Cord. Feſtucam
ſeu (ut Gaza uertit) feſtucaginem illam, quam
græcam Plinius, Vergilius Maro ſterilem aue
nam, græci uero ægilopa dicũt, uobis ex Theo
phraſto ac Dioſcoride cognitam eſſe, & inter
fruges adeoq; earundem uitia referri uel apud
Galenum noſtrum legiſſe uos puto. Idcirco
uos ipſi hic iudicate quantũ errent, non ſolum
uulgares herbarij ſed magni iuxta medici qui-
dam, qui hanc aquileiam nobis dictam her-
bam Græcorum ægilopa credũt, omneśq; eius
facultates eidem tribuunt. Meg. Nihil in ea q̃d
ægilopis hiſtoriam referat cõſpicitur, nec tam
ab anguilla cancer diſſidet. Nig. Quam hanc
aquileiam apud Dioſcoridẽ eſſe putas? Cord.
Cum didicero dicam. Ral. Pergamus igitur
ad eas quas noſti. Cord. Ex hac ſcrobe perſicã
exſtirpaui. Ral. Quam ob cauſſam? Cor. Ob-
umbrabat mihi hanc aream. Ral. At habuiſſes

tua hinc quotannis mala. Cord. Plura quam uelim mala ſuppetunt. Ral. Siniſtre interpretaris, ego de fructibus intelligo. Cord. Non admodum magno eorum deſyderio teneor, quandoquidem mala ſunt hæc mala, ut quæ frigida & humida noxium; quia facile corruptibilem ſuccum gignant. Gal. Aliter tradit Dioſcorides, qui ea edendo eſſe & ſtomacho ualde accommoda commendat. Cord. Non hæc perſica ſed perſæa intelligit. Gallus. Quam facis ergo perſicorum & perſæorum differentiam? Cord. Hæc perſææ, illa uero perſicę mala ſunt. Nig. Vt audio perſæa & perſica diuerſæ ſunt arbores. Cor. Omnino. Gal. Virgilius Marcellus tamen perſęam perſicā quoq; indifferenter nominat. Cord. Sic etiā Theodorus Gaza. Verum non ita in græco haberi credo. Ral. Perſica ſæpe ſed perſæa nunquam appellari audiui. Cord. At Galenus tuus Galle, cuius tam aſſiduus es lector, de perſæa et perſica arboribus ſeorſim duobus capitibus egit, & diuerſas eis uires tribuit, aitque illam in Alexandria ſibi uiſam, quaſi dignum fatu ſpectaculum innuat, cum hæc ubique uulgaris conſpiciatur. Meg. De noſtrate non poteſt intelligi quod dicitur, apud Perſas fructum tantæ perniciei ferre ut edentes interimat, & in

Aegiptum transplãtata eundem in esculentum & innoxium mutare. Cord. Neq; illud quod Theophrastus in hũc sensum tradit. Esse persicam (sic Gaza perseam uertit) aspectu magnã formosamq;, folio, flore, ramo, totaq; figura potissimũ ~~plus~~ pyro uicinã, nisi quod altera folio perpetuo altera deciduo sit. Fructũ abũde parere, omniq; tempore perficere. Atq; id in Aegipto et proximis ei locis, et in Rhodo usq; ad florem duntaxat deuenire. Nostras persica non similia pyro sed qualia nouistis folia fert, eaq; quotannis remittit, et semel tantũ in anno fructificat, fructumq; absoluit sub Septentrionali etiam cœlo. Ral. Vulgare hoc est olus, sed nondum latinum eius nomen audiui, nam Germanice beneth appellatur. Cord Blitum te merito dixerim qui blitum ignoras. Meg. Spinaciam quoque, quam Germanice spenet dicimus, scire uelim an uspiam Dioscorides inter herbas suas locarit. Cord. Nusquã ut credo, sed nouam ueteribusq; incognitam fuisse suspicer. Quamuis sint qui eam blitum, de quo iamiã dictũ, esse falso putent. Nig. Hãc maluam esse putarẽ, si nõ incisuris diuisa folia haberet. Cord. Sunt qui alcæam credãt, quod sic affirmo, ut si fuerit non meam fidem peticlitari uelim, certe in leoniceni Dioscoride,

quem mihi commodato dedit, ad marginem iuxta hoc caput, eius ipsius manu notatum legi alcæam etiã, ut maluam caseolos ferre, quos hic uidemus. Gal. Germanice mihi nomina. Cord. Hoiuchluchtẽ quasi altam lucernam dicas, & sickmars vurtz, quod nomen interpretari nequeo, forte deductum ab eo quod Symeonis herba à quibusdam dicitur. Nig. Si græca cum latina uox componi posset, crederem in Dioscoride galeopsin pro galiopsi legi debere, effeque hanc herbam cuius flores galeę aspectum, ut sæpe animaduerti, referunt. Ral. Nos barocum Latine & Germanice behensuchen, id est, apisugium uocamus. Nig. Neque grauis odor, qui galiopsi tribuitur, deest. Cord. Videtur Brunfelsius noster per galiopsim dictam scrophulariam innuere, quam si Dioscorides intellexisset, testiculatas illas radices, quib⁹ maxime indicari poterat, non præterisset, ut illa, quæ dum matura est, habet, capitula taccam. Meg. Vidi aliquãdo similem urticæ aliam hoc baroco multo maiorem, purpurascente & simili rapunculo, nisi uastiore tãtum flore, quid si illa galiopsis fuerit? Cord. Nihil decerno si tamẽ id omnino cogerer, ma'im ad Nigri suspicionem inclinare. Ral. Simillima huic alia tum facie tum odore albos flores ha

bet. Cor. Forte ea quã Plini⁹ lamiũ dicit. Meg: Nihil dubito quin ſcias quod Leonicen⁹ hunc pedem coruinum non eſſe ueterũ coronopoda contendat, quod tñ fere oẽs adhuc medici putant. Cord. Totam ſuper hoc diſputationẽ legi, & ut ueriſſime, eius ſententiæ ſubſcribo. Gal. Idẽ facere Brunfelſium hic uideo. Cord. Sed quid tunc in contraria adhuc opinione hę ret, & non aliam coronopoda credit, quã quæ hodie crus galli uulgo dicitur, uel pueris etiam nota, qui eam legentes mutuo ueſicas cient, quod huic potius coruino pedi cõuenit, ut uel ob id etiam flammula uocetur, tria coronopodos genera nobis idem exhibuit, quorum tamen nullum eam eſſe iudico. Spargitur eñ humi coronopos, cum omnia illa recto caule tollantur. Meg. Quid Galle tam diſtorta & quaſi cacantis facie ringeris? Gal. Stomachus meus ſtomachatur, luctantes nimirum uentos & ſonoras tempeſtates continet. Cord. Aeoliam audio. Nig. Claudiano edicto parẽs ſiue ut per utrunque guttur emicent, non eſt turpe præſentibus medicis Aethontem agere. Gal. Scio unde contraxerim, edi hodie rapas. Ral. En tibi galangam an forte hac manſa reſidere uelint. Cord. Interim ſub his ceraſis recumbamus. Nig. Nuſquam apud Dioſcori-

dem galangæ historiam inuenire potui. Cord. Non mirũ cum nusquam posuerit. Sũt & aliæ plures Arabum medicinæ, quarũ nec ille nec alius quispiam ex ueteribus Græcis, quod ego sciam, meminit, earum complura nomina in schedulam quandam notata penes me in pera, ut reor, habeo. Meg. Ea nobis recensere ne pigeat. Cord. Non inuenio, memoriter aliquot enumerabo. Sunt igitur illa, ambra, anacardion, seu anacardus, behen, bellirici, bel, camphora, casia fistula, quam ita iam uocant, coton, latine gossipiũ, culcul, dadi, dend, doronici, emblici, fagre, feleng, faufel, & ipsa de qua iã dubitas galanga, kadi, kanabel, lingua auis, moschus, manna, macis, si nõ machir est, mirobalani citrinæ, chæbulę & Indæ, nisi quis eas inter palmulas Dioscoridis reputet, michad, mummia, musa, seu maum, nersin, nux muscata, nux metel. nux mechil, & forte nux hende, nux indica, nisi hæc sit quam Galenus regiam nucem appellat, & septem uncias continere dicit, nux uomica, modo & illa non sit, ut quidã uolũt, thitymali caryitis fructº, phel, piperella, licet uiticis semẽ ita etiã dicat, ramech, ribes, saderuã, sandalũ, sel, sene, tamarindi, turbith, uirga, zarnabũ, zeduaria, zelim, zurumbeth. Meg. His uocabulorũ mõstris lunam e cœlo deduci

posse crediderim. Cord. Anacardij & zarnabi tamen (sed arnabi nomine) Aeginetam memi nisse puto. Vbi sciẽdũ Serapionẽ duo zurũbet ponere, & alterꝫ ei significare Auicennæ zarnabũ & Aeginetæ Arnabo, alterum zedoariã, quanq̃ Auicenna de zedoaria zurũbet zarnabo, quasi de diuersis rebus tribus seorsim capitibus agit. Ral. In mummiæ capite apud Serapionem Dioscoridæ uerba citantur. Cord. Fateor, sed quibus pissasphaltum describit, uerum tamẽ mumiam aliud quid à pissasphalto esse, tot ab Arabicis medicis memoratæ eius facultates arguunt. Multo enim acrius calidius, ac fortius quid esse oportet, si huiusmodi potest, quam pissasphaltum, quod ut picis & bituminis nomina sic & facultates possidet. At illę nõ tot neq; tantæ sunt. Ral. Citatur apud eundem Serapionem, ab Aben Mesuai & Galenus mumiam inter oculares medicinas referens, his uerbis si recte repeto. Galenus memorauit eã in ~~almayemer~~, quando locutus est de soda in libro quarto & dixit quod ex medicinis oculorum sunt quædam calidæ, acutæ, sicut mummia & asa & serapinum & euphorbium & uniuersaliter omnis medicina quæ calefacit fortiter &c. Nig. Tantum te medicum esse nescirui. Ral. Comparatus mihi Galenus quasi con

tẽptissimus ueterinarius fuerit, sed caue ne de cumbens meo unius tantum consilio utaris. Dum in taberna mea ociosus aliquando desideo, in Serapiõe legere soleo. Cord. Interpres illius libri Nicolaus de Regio quæ tu recitasti sic uertit. Cõtrariissima autem materia eorũ talium est ea quę est acrium operũ, ueluti cirinaci (ego Cyrenaici puto legendum) & indici & serapini & euphorbij & simpliciter dicendo calefacientium uehementer, Vbi pro mumia laser (nam sic latini Cyrenaicum opon, id est, succum appellant) intelligendum quis suspicetur, neq; immerito, cum Arabes medici easdẽ fere mumiæ suæ facultates, quas Dioscorides Cyrenaici succi, recenseant. Nisi quis transpositis uocib⁹ Indicum ibi succum pro mumia, & Asam pro lasare accipe uelit, ut oẽs hodie medici faciunt turpissimo errore, cũ eadẽ asa uetus illud laser non aliter, ac humanum oletum suauissimum balsamum, referat. Meg. De Indico multa Leonicenus, sed, quod huc ad mumiam pertineat, nihil. Nig. Vanum, ut hinc uideo, commentum est, quod quidã humani corporis tabidam saniem aloe & myrrha communi xtam & e sepulchris effluentem, esse mumiam dicunt. Cord. Id ut crederem nunquam adigi potui. Ral. Cum tamen illi testem habeant Se

rapionem? Cord. Sed ubi Dioſcorides, cuius de piſſaſphalto ibi caput ille citat, id teſtatur? Qui tñ, ſi aliqua talis ex hoíe medicina fuiſſet, certe ut alia plæraq3, quemadmodum ſaliuam, urinã & ſudores non præteriſſet. Ral. Non facile pendentes ex Arabibus medici permittẽt, ut hanc uſitatam hactenus mumiam e tabernis noſtris auferas, quam adeo uſurpant, ut, cũ uera haberi neqt, æmulam eius nos conficere cogant, acceptis ſcilicet e patibulo aliq uel rota humanis pulpamentis, eiſq3 aloe ac myrrha. Cord. Quã habetis. Ral. Aliquandiu maceratis. Cord. Facitis hoc ipo anthropophagio, ut ſapiẽtes & qui nõ uultures ſunt hoíes, tabernas ueſtras nõ ſecus ac fœdas carnificinas merito abhorrere, fugere & execrari debeãt. Qui unq Lęſtrigones tã ſpurce crudeles fuerant? Satis fuiſſet abominabiles nocẽtiſſimaq3 uiperaq3 carnes aliquot antidotis miſcere, & ab humano tabo ſaltẽ abſtinere. Ral. Nihil non audendum & ferendum eſt, ut oĩm rerum precioſiſſima ſanitas, ſi qñ amiſſa fuerit, recuperet. Cord. Age bone Ralla, quæ eſſe põt ueſtræ illius mumiæ tanta uis & efficacia, ut tm̃ naturæ piaculum æquet? Miror tam ſtupidam medicorum credulitatẽ, ne uecordẽ cæcitatẽ dicã, quæ tã ua mã fruſtrationẽ p tot annos non pcipit. Liceat

mihi hic etiã empiricos quoſdã perſtringere, qui humanũ adipẽ in unctiões ſuas ſuperſticio ſe expetunt & inquirunt, planéq; uicio ſuo ſanctiſſimam alioqui medicinam polluunt, nõ ſine fallace rapinarũ decipula. Meg. Quid tũ de illis, qui ſanguinẽ etiam humanum medicinis ſuis miſcent, magna, ut ipſi putant, nutriẽdi & refocillandi potentia? Cord. Integrũ & in corpore noſtro detentũ adhuc ſanguinẽ optimũ quidẽ & utiliſſimũ eſſe ſuccũ haud dubito, an aũt, ubi foras profunditur, idẽ permaneat, neſcio. Vt id maxime fiat, tñ huiuſmodi medicinas uel miſcere nedũ accipere abhorrerẽ. Ral. Quorſum ab inſtituto procurrimus? Serapio, uolebam dicere, ben deſcribens etiam Dioſcoridem citat. Cord. Ego nõ ben ſed behen ptuli. Nig. Quid idẽ ben tũc illi eſt? Cord. Myrobalanus. Ral. Numeraſti tñ & mirabalanos inter ea, de qbus dubitas an ueteres ſcripſerint. Cor. Alię ſũt Dioſcoridis myrobalani à ueſtris iſtis, licet ferme oẽs, hodie medici eaſdem illis, quas Dioſcorides ſuis, facultates tribuant, & eaſdem etiam res putẽt, manifeſto raris tamẽ deprehenſo errore. Meg. In Galenianis ſecretis & experimentis non ſolum oẽs, nempe quinq; myrobalanorũ noſtrarũ ſpecies, ſed etiã camphoram, doronici, galangã, nucem muſcatã,

nucem Indicam, turbith, zedoariam, zurumbet, Imo omnia fere, quæ recitasti, adeoq; plura legisse me recordor. Cord. Hæc eadē ac absurda quædam alia, in causſa sunt, quo minus libros illos Galeni esse credam, usq; adeo arabicissant, qđ decem isti tractatus Myamir nō faciunt, imo quantumuis Arabica interpretatione corrupti & infecti, latente tamen genio authorem Galenū referunt. ut fallantur qui hūc non germanum sed adscriptitiū librum existimant. nescientes eum esse, qui de cōpositis medicamentis secundum loca inscribitur. Nig. Eosdem tractatus, ut ex Plateano nostro accepi, Ianus Cornarius insignis & mire literatus medicus, nobis propediem, ut nuper Actium, Latinos exhibebit. Meg. Vtinam non Torinia na affectatione. Nig. Imo purissimo, quod synceram eius iudicium est, sermōe. Cordus. Hūc ego, licet a facie nondum cognitum, inter primarios tamen amicos meos collocatū nō uul gariter diligo, sperōq; non paruam opem iacenti & iam resurgere conanti medicinæ laturum. Nig. Turbith etiam ueterum Græcorum tripoliū esse uolūt. Cord. Eius caput Serapio quidē ex Dioscoride citat, Imo sunt qui eiusdē pityusam autumēt, ego ꝙo neutrā. De qua re, quia amplius disputare neq; libet neq; uacat ad

Leonicenum & Manhardum uos remitto. Meg. Quin & ſenam, ſunt qui delphinium eſſe putent. Cord. Non tamen undequaq; reſpondente hiſtoria. Quod ſi maxime fuerit, nonta men ueteres de eo quicq̃ ſcripſiſſe crediderim. Nam adiecticiũ hoc in Dioſcoride caput hinc arguitur, quod in antiquiſſimis id codicib. nõ inueniatur, neq; Galenus neque Aegineta neque Plinius delphinij uſq̃ meminit, quantum ego obſeruarim. Meg. Quandocũq; & à quibuſcunq; reperta ſit, quomodocunq; etiam uocetur ſena multis laudib. predicata, quia multis uiribus prędita eſt medicina. Cord. Hinc non immerito & ſoſandros dicta, quod hominem ſcilicet ſoſpitet. RAL. Dammarum proſpicio, in quo uuulariam naſci à quodam hic cucullione olim audiui, quam ut illinc mihi colligeres, nuper literis meis te rogaui, ſed qui nihil accepit ego ſum. CORD. Dij te perdant cum tua hac demonſtratione, ſiniorum nidũ indicaſti. Ego tum ardentiſſimo caniculę æſtu eum conſcendi, ſed nihil præter ſterilitatis indices erycam ſcilicet & geniſtam inueni. Meg. Putas Dioſcoridem uuularię uſpiam meminiſſe? Cord. Puto, eamq; eſſe eandem Alexandrinæ lauro, quod mihi non credens eius hiſtoriã conferat. GAL. Herbam forte intelligitis quæ

bisslingua uocatur, Cordus. Eam ipsam. Ral. Nullam in ea, qua vuulę medeatur, facultatem inuenio, à qua tamen hoc ei nomen inditur, ut hinc etiam Germanice houckblat id est vuula rium folium dicatur. Imo ne aliquem foliorũ quidem usum. CORDVS. Fuisse tamen olim non paruum illum ex hypoglotti & hypo glossidȝ nomenclatura constat, quæ hinc proculdubio facta illi est, quod sub lingua teneri solita sint folia, ut uel hodie, non tantum apud insubres, ut Vergilius Marcellus ait, aliasque alibi gentes, sed etiam in Germania nostra fit, quoties abundantem puerorum saliuam & destillantem in fauces humiditatem, unde uel prolixa Columella, id est uuula, uel faciens balbuciem linguæ impedimentum oritur, cohibere & siccare opus. Aliud me remoratur quod scilicet DIOSCORIDES huius alexandrinæ lauri folia ruscí, quem uos bruscum dicitis, foliȝs similia tantum minora pingat. Ruscum in Italia uidi, si qui indicarunt non fefellerunt, similibus quidem sed minoribus, quam uuularia habet foliȝs. RALLA. Si tam utilis est radix ut hic legitur, non do nipetas illos agyrthas qui tam multam uuulariam circumferunt orabo, ut & ipsam una cum herba euulsam mihi portent. NIGER.

Quæ erice illa est quam cum genista ibi te inueniſſe iam dicebas. CORDVS. Vulgatiſſimus frutex ille quem Germanice heyde nominamus. Mego. At eam literatores myricam uocant. CORDVS. Sic Græci tamaricem noſtram apellant, cui eryce admodum ſimilis, niſi quod minor ſit, deſcribitur, peculiare apum oblectamentum, unde ſi non adeo generoſum qualecunq; tamen mel conficiunt. NIGER. Memini me apud Nicandri ~~ſcolaſten~~ legiſſe erycem herbam eſſe hederæ foliis, quibus dicta heyda nihil accedit. CORDVS. Neſcio quantum fidei huic, quiſquis fuerit, habeam, in pluribus mihi non optime dixiſſe uidetur. Clara ſunt Dioſcoridæ uerba quibus, ſi placet, adde quæ & Plinius de eodem frutice ſic tradit, erycem, inquit, græci uocant fruticen non multum à myricæ differentem, colore roris marini & peneſolio, de quocunque rore marino intelligas (nam plures eius ſpecies prius audiſtis) minuta tenuiaque non hedere ſimilia folia deſcribuntur. Decepit forte ſcholiaſten quod Nicander explicantem folia ſua erycem dixerit, ut Lonicærus uertit, id quod ego non ad lata folia ſed ad diffuſos ramos refero. NIGER. Non uelis indignari.

Corde si ex ipso Dioscoride contra hanc opinionem tuam alium adhuc locum citauero.

Cordus. Quasi non audieris toties me dicentem quod uel à minimis pueris absque ullo pudore discere paratus sim, nedum à uobis doctissimis uiris, atq; hac sola caussa uobiscũ exiui, alias iam domi compotaremus, ne forte id me refugere, & sumptũ dolose detrectare putetis. Nihil mihi unquam gratius contingere potest q̃ ut, ubi aberrauero in uiam quis me reducat. Cupio admoneri & doceri, quod tamen plærosq; adeo pudet, ut erroneum potius opus emittere nonnunq̃ malint, quàm ab alijs quicquam interrogare, quod tamen tam libenter facere soleo ut sæpe molestus sim. Sed dic tandem quis ille locus sit. Nig. Dioscorides capite de cori, herbam eam similia erycæ, minora tantum folia habere dicit. Constat corìn inter hyperici genera numerari, aliqua, ut credo, foliorum similitudine. Nunc omne hypericon latiuscula folia habet, ut minima saltem rutã æquent. Si nunc minora ea corìos quàm erycæ scilicet, qui eryca frutex, qui heyde dicitur, esse queat, nõ uideo. Cor. Vt ingenue fatear, torsit & me dudum animaduersus modus ille, quẽ tamen ad Alexandri Magnî exemplum, hoc gladio dissoluo, quod duorum insignium au-

thorum, Dioſcoridę ſcilicet et Plinij, erycē myricę, id eſt tamarici cōparantium aperta et clara eſſe uerba uideam, & potius inibi forte errorem latere, quam Dioſcoridem ſibiipſi contradicere putem. Vel igitur maiora tantum ibi legendum (quanquam ne ſic quidem ſimilitudo reſpondet) uel aliam erycen eſſe putandū eſt. Meg. Magnas ac multas in ſimplicibus difficultates eſſe uideo, & miror nō maiori ea diligentia à recentioribus medicis inquiri, imo tanta ſupinitate negligi, inueteratisq; eos erroribus potius oblectari. Cord⁹. Adde & quaſi Vatiniano odio contumelioſisq; conuicijs ſcrutantes ueritatem uiros proſequi. GAL. Non mathematicus diuinator ſum, tamen uerum erit prognoſticon meum uereor, nos imminentem pluuiam uix poſſe euadere, uidetis ut atris nymbis obductum cœlū horreat? Et prope quintam eſt horam. Cord. Recte admones, redibimus domū, recta qua uenimus uia, quanquam per Lani ripas uos ducere, fuit animus, ut de aquaticis quibuſdam herbis etiam diſputaremus, ubi & in acoro & gladiolo nos errare demonſtraſſem. Ralla. Nunquid gladiolus ille luteis liliijs uerus eſt acorus? Cord. Valde dubito, diſſidente radicis forma & ſapore, qui potius adſtringens & quaſi inſipidus quā-

dam præ se frigiditatem fert. Ralla, Quid audio? Omnes pixidas nostras exinanire studes. Cord. Imo bonis ac ueris potius medicamentis implere. Nig. Forte xyris est, Cor. Facile id credērē si flos non obstaret, qui xyridos purpureus est, imo alius etiam natalis est locus. Nā xyris in agro inter sepes nasci Virgilius Marcellus testatur, cum hæc planta semper aquarū uel accola uel incola sit. Neq; similis ei & eodē natali gaudens alia herba uerus, quod credimus gladiolus est, qui secūdū Dioscoridē etiā purpureo flore, binis adeoq; bulbosis radicib⁹ in aruis reperitur. Meg. Sparganion uideo etiā inter gladiolos referri, an illud nosti? Cor. Nō ausim dicere, quanq̄ aliquando cogitarim, nū illa sit herba, quæ prope aquas similis gladio sed gracilioribus & angulosо dorso acutioribus foliis, & aculeatis pilulis nascitur. GAL. Alexāder Benedictus in quodā de peste libello sparganiū, tormentillā esse docuit. Cor. Tunc aliā, quā quæ pentaphyllon dicit, tormentillā esse oportet. Nig. Videre est in eisdē locis & aliā enodi caule lōgis & ad gladij formā accedētib. foliis gracilioribus. tamē, denso nescio flore ne an paniculo dicā. Cor. Typhā herbā audio describis, quæ Germanice narrēkolbē id ē, morionis cestus dicit, quanq̄ apud Theophrastū quod et

hîc me aliquantulũ ſuſpẽdat, legi. Ral. Quid ergo ꝑſcripto mihi acoro ſuccedaneũ accipiã. Cor. Dictũ hodie calamũ aromaticũ ego pro acoro ſcribo, & eundẽ etiã eſſe ſuſpicor, dubitò queuehemẽter nũ uerꝰ calamũ odoratũ habeam⁹, res eñ eſt exotica et ꝑcioſior, quã ut tot tã tiq; illius pleni colei ubiq; ꝑſtẽt. Ral. Spero te ſaltẽ noſtras nobis fabas relinq̃re. Cord. Exq; ita mihi illudis, illudã & tibi, & ſi nõ has ipſas abſtulero, faciã tamẽ preſtigijs meis ut neſcias an habeas, atq; hęc noſtra erit, donec urbẽ ingrediamur, diſputatio. Meg. Age dic, libenter hunc ludum tuũ audiam. Cord. Principio quæro te RALLa, quas nã fabas intelligas, nũquid illas quæ oblonga & aliquantulum plana cõpreſſa'q; facie nunc binæ, nunc ternæ, nunc quæ ternæ & nunquam fere plures quam quinæ in ſingulis filiquis naſcuntur, nigro umbilico ſeu oculo tã grandes ut duæ drachmã unã pendãt quas Germanice bonen dicim⁹. Ral. Quas aliquas. Cor. Bene. Sed uerę fabæ his multo minores & rotũdæ ſunt id quod hinc colligẽt, quod apud plæroſq; medicos, ubi de aurium incõmodis agunt, tale lemma inuenias. Si faba uel aliud quippiam rotundũ in aures ceciderit. Et CORNELIVS Celſus epinyctidas inſtar fabarum puſtulas deſcribit, nimirum paruas

ac rotundas intelligens. Sic etiam legimus cicrum in mammillis fabæ similitudine incipere. Quod si hæc tibi leuia uidentur argumenta lege totum Dioscoridem & sæpe exigua rotũ daq; semina fabis comparari reperies, quemadmodum, ut unum saltem exemplum proferam, in iunipero uidere est. Quin ipse Galenus multipedas seu oniscos propterea etiam cyamos, id est, fabas appellari dicit, quod, dũ contrahuntur, fabarum figuram imitentur. Nunc easdem bestiolas in rotundissimas pilulas conuolui author est Scribonius. Ral. Dudũ obturatum est mihi os. Cordus. Sed audi quæ plura Galenus de aphaca & uicia dicit. Horũ inquit, seminum figura non rotũda est ueluti fabarum, sed aliquanto latiuscula similiter lenti. Idem in libello de ponderib. In Aegiptia inquit, faba obulus semis est. Nunc is duodecimam drachmę partem æquiparat. Cum ergo Aegiptiæ fabæ communibus fabis, quas authores intelligunt, maiores sint, & tamen earum duodecim drachmã unam faciant, quot putas communes illas, quæ minores sunt, drachmam constituere? Forte non pauciores xviij? Adde quod & Plinius inuentum scapum centum fabis onustum tradat. R A L. Desine tandem uictum uincere. Cord. Sed possem hic

plura addere quibus tamen breuitatis cauſa prudens ſupерſedeo. Tu modo, an hæc de noſtratibus fabis intelligi queant, cogita, quarũ ſunt quędã adeo magnę, præſertim purpureæ illæ, ut ſingulę ſingulas drachmas pẽdant. Ral. Ego ſtatim in principijs concido, uos triarij mihi milites ſuccedite, pro me reſpondete, & periclitantes fabas aſſerite oro, quantũ eñ per me ſtat prorſus actũ eſt de illis. Meg. Vt uideo Corde ſerio ludis, & me quoq; nonnihil, imo multum dubitare facis, adeo urgẽtia producis argumẽta. Quę tamẽ hic reſpõdẽda reor, poſt cœnã reſeruabo, cum iam nõ ſatis tẽporis ſuppetat. CORDVS. Tum ego quoq; ſententiã meam dicam, & ſimilia plura de alijs leguminibus proponam, quorum plurium, ut Cerealium etiam ſeminum, difficilis iam eſt cognitio, eorũ præſertim quæ olim ut omnibus cognita nulla ultra nomenclaturam hiſtoria deſcripta ſunt. Hinc ego quid piſum, quid & loliũ ſit, imo quo nomine frugem illam, ex qua confectum panẽ quotidie edimus, uocemus, ignorare nos contenderim. RALLA. Et multa hodie didici & multa iuxta dedidici, pro quibus tamen omnibus non uulgarẽ tibi gratiam habeo. Meg. Eandem & nos alij. RALLA. Vnũ

tamen adhuc reſtat, quod interrogare oportet. Nũ omnia quę contra inueteratum uſum docuiſti, ſecũdũ hanc demonſtrationẽ tuã accipiã? Cord. Neceſſe eſt hic te ſolertem & cautũ eſſe, & nõ ſtatim deprehenſis aliquot harũ rerum erroribus cũ hominũ periculo ſciolũ oſtentare, imo uidere quis ſcribentis tibi medici intellectus, & quæ abs te cõponendæ medicinę ratio & qualitas ſit, & an conducat præſcripta eius ſimplicia mutare, non emñid temere neque ſemper fieri debet, ubi tu alia earũ nomina ſcieris. Vt me capias: Scribet forte quiſpiam tibi producenda urina quam uocatis receptulã, in qua & ſenetio legitur. Hic ſi tu continuo uera ſenetionem acceperis, peccabis non leuiter, quoniam nõ hanc ſed cardaminen, id eſt, criſſonem ille uoluit, & conficiendum medicamentum poſtulat. Eodẽ modo ipſum quoque medicum animaduertere oportet, ex quo nam authore medicinam ſuam tranſſumat, uetere ne ſcilicet uel an recenti, & qualia etiã ille ſimplicia intelligat. Nã ſi quis (ut et hic exemplum addam) in Galeno uel alio quodam, qui uel an te uel nõ adeo multo poſt eum tempore uixit, miſcendam caſiam legerit, non eam, quæ hodie ſic uocatur, ſed cognominatam ligneã ac-

cipiat, cum illâ à recentioribus inuenta, hæc ue ro antiquis tãtum cognita fuerit. Ral. Nisi ad ingressas nundinas properem, crastino quoq; die apud te manerẽ, ut simili deambulatione per uicinas istas syluas ac ualles plures ex te herbas discerẽ. Cor. Dũ reuerteris, huc rursus obiter declina, operã meã tibi ultro polliceor. Meg. Sed ubi ego tũ fuero? nã cõtinuo ut crastina lux emicuerit, Cassiliã, hinc Erffurdiam, mox Lypsiã concedã, neq; huc e Frãcoforto diuertissem, nisi te tantũ & iã plusq; in tribus annis nõ uisum amicũ meũ nõ inuisere, cum tam prope essem, grande piaculũ, imo scelus duxissem. Cor. Omnes illic communes amicos nomine meo salutabis plurimũ & reuerẽter, utq; Cordo suo aliquãdo scribãt, & in istis, quas iã patiẽt, eũ aduersitatibus consolent, admonebis. At tu candidissime Niger apud nos hic aliquãdiu ages, nec oblatã tibi prouinciam reijcies. Nig. Si commodus ei suffecero, & illam, qua te à quibusdam hic exerceri audio, persecutionẽ effugere potero. CORDVS. Pessimus ille sit oportet, qui te optimũ uirũ odisse potest. Nig. Affectu tuo compositis colorib⁹ me pingis, ego tã difficile acquisitu ac rarissimis dignũ nomen nõ agnosco. Qualis qualis tamẽ sum, oẽ

bonos amo. Meg. Tunc necessario phylautus es. Nig. Qua causa? Meg. Quia sic & teipsum amas. GAL. Incommodū hoc, quod una cum redeunte ex pascuis armento ingrediamur, ex pectemus parum dum transeat, non libenter pecoribus misceor. Cord. Discede ergo e Mar purgo. Quin imus? Meg. I tu prę, nos te sequemur. Cord. Pontem contigimus, nunc iterum binis nobis ire & colloqui licet. Meg. Domus tua Corde egregium habet aspectū. Quid ex tam imo pectore suspiras? Cor. Quod eadem ipsa tot tātosq; mihi inimicos cōciliauerit, & ut meliorē alibi prouītiā negligerē, dum uana me proprij spe retinuit, coegerit. Meg. Dolendum est certe iniquā fortunā perpetuo bonis uiris aduersari, et nō nisi īprobos nebulones respicere. Cor. Quid attinet multa cōqueri? ego susq; deq; fero, cedā inuidiæ nihil dubitans me satis habiturū quocunq; peruenero, cū inimici mei, etiam ubi has ædes deglutierint, famelico adhuc rictu esuriant. Meg. Mirū si te, modo rē noscēs, princeps discedere patiat. Cor. Qui mihi facilē ab eo dimissionē impetret misi. Meg. Forte qui te hinc amotum uelit? CORDVS. Acupictor esse deberes. Meg. Sed qua ratione persuadebit? CORDVS. Non deerit Mer

curio oratio, quam etiam iuuabunt Augusti Sebastiani Nouzeni missæ isthuc literę, quibus me apud eundem principem, quasi iam decem septimanis prælectio mea interquieuerit, accusauit. Idq; totius scholæ, cuius iam Alpha est, cõmuni nomine, sed manifestissima calũnia. Abfui quidem hinc aliquamdiu Bremam profectus, interim tamen substitutus alius prouinciam meam integro mense subijt. Dehinc sequutæ sunt feriæ, ita ut non totidem horis, quot ille septimanos indicauit, pensum meum intermiserim, nulla tamen torpens negligentia, sed urgente coactus necessitate, cum eo tẽpore apud principem de reddendis ædificij expensis, non citra magnum incõmodum meum agerem. Hanc tam insignem iniuriam quo putas animo feram? Tam diligenter, scio, tam etiam bene, spero, quàm quisq; alius suum, hic locum meum defendi. Adde etiam, tantæ utilitati, imo & laudi huic scholæ fui. MEG. De hoc non dubito. CORDVS. Et hanc nunc gratiam recipio. Non tamen omnes collegas huius accusationis infimulo, imo plurimam eorum (qui amici mihi fauent) partem ea latuit, credo. Siquidem cum quotquot super hac re expostulaui, omnes se eius inscios esse respõ

derunt. Gal. Ego hac gurguſtiũ meum rectà petam. Cor. Quo is? una nobiſcum cœnabis. Gal. Magnam tibi gratiã habeo, eſt quod uerear. Cord. Nihil tibi metue, nos coctos nõ crudos gallos edimus. Gal. Debilem uẽtriculum habeo, quem ut curem oportet. Cord. Bene ergo uale. Gal. Vale et tu. Cor. Ingrediar culinã, & qui uxor focum inſtruxerit, uidebo, uos interim in æſtuariũ aſcendite, mox adero. Meg. O miſerum Cordum noſtrum q̃ tam commodum ædificium, in quod omnẽ ſubſtantiam ſuam profudit, deſeret, redditis tamen, ut ſpero, expenſis. Nig. Vtinam quam eſt candidus tam eſſet etiam cautus, & libertatẽ ſuam cohibere, imo nõnunq̃ ciuiliter blãdiri, aſſentari & adulari poſſet, melior quondam proculdubio ſucceſſus ei uiciſſim arrideret. RAL. Fruſtra optas, ſuum habet, quod obtinebit, ingenium. Meg. Amici mores noueris non oderis. Cord. Quid nunc agitis, eſuritis ne egregie? parum uobis expectandũ eſt. Meg. Noſtra cauſſa nihil accelera. Cord. Exuite tunicas ueſtras, ut habeam quo uinum emam. Ral. At mea tanti nõ eſt, ut pro una amphora oppignorari poſſit. Cor. Vtinam ex tot noſtris, qui alibi ſunt, amicis, ſaltem Georgius Sturtius, Eoban⁹ Heſſus,

